


05

A

1953





DE COLLO-
QUIO CVM PONTI-
FICIIS INEUNDO,
DISPUTATIO.

Ad cuius Propositiones,

AUXILIANTE DEO,

Præfide,

ÆGIDIO HUNNIO, S. THEO-
LOGI & DOCTORE ET PROFESSORE
in Academia Vitebergensi, 10. Iulij,
in Auditorio Theologico
respondebit

M. GEORGIUS ZEÆMANNUS,
Hornbacensis Palatinus.



VITEBERGA,

Typis M. Georgij Mulleri, Impensis Pauli Helwichij
Bibliopol. Anno M. DCI.



05 A 1953

De Colloquio cum Pontificijs ineundo, Propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.



Ultus est passim sermo de colloquio inter nostros & pontificios instituendo: prostant typis excusa quorundam Papicolarum Scripta, quibus thraſonice jactitant, se jam biennium laborare, ut Nationale colloquium celebretur: gloriantur etiam nonnulli, sed mendacissimè, nostros nō aude- re congre- di. Non igitur alienum fuerit, hoc ζήτημα præſente diſputatione ventilare, an, & quale Colloquium & quibus con- ditionibus cum aduerſarijs iniri queat, maximè verò, quæ, in illo, Norma doctrinæ, quis controverſiarum Iudex ſit agno- ſcendus.

2. An cum eis publicum aliquod Colloquium ſit haben- dum, haud abs re nonnulli ambigunt, ex hac ratione haudqua- quam contemnenda, quòd hodierni Pontificij Doctores, Ieſui- tæ cum primis, nec Dei gloriam, nec doctrinæ cœleſtis verita- tem quærant aut ſpectent; ſed ad ſtabiliendam tyrannidem ſe- dis Pontificiæ (cui horrendis ſunt planeq; diabolicis juramen- tis mancipati) velut ad unicum ſcòpum univerſa referant: ideo- que nullum ab eis ſtadium inquirendæ veritatis expectari queat.

3. Et ſanè, ſi ad illos ſolos reſpiciendum foret, cum ipsis tan- quam Antichriſti juratis mancipijs omnem diſceptationem absq; fructu ſuſcipi non inſiciamur, perinde ut colloquia Chri- ſti cum Phariſæis habita, quoad ipſos Phariſæos, infrugifera fuiſſe leguntur.

4. Sicut autem ea nihilominus apud reliquam multitudi- nem Iudaicæ plebis non caruerunt ſuo fructu: ſic dubium non eſt, ad auditores veritatis cupidos & in Dei timore auſcultan- tes etiamnum hodiè fructum aliquem redundare poſſe ex col- loquio certis legibus & æquis utrinq; conditionibus ſuſcepto.

5. Eò verò minus illis tale colloquium denegari potest aut debet, quando (ut causam suam pingant ad vulgus) gloriantur, se colloquutionis avidos, Lutheranos vicissim non audere pedem contra ferre.

6. Ne igitur impudens & crassum hoc mendacium insideat imperitorum animis, atq; hinc nostrę confessioni macula quępiam aspergatur, ac si lucem ea refugiat, indeq; offendantur infirmi, contra pars adversa in impietate manifesta confirmetur, & cristas erigat, omninò legitimum colloquium detrectandũ non est, præsertim, quòd etiam Apostolus Petrus jubeat paratos esse semper ad respondendum cuilibet petenti de ea, quę in nobis est, spe. 1. Pet. 3.

Conditio 7. *Conditio*es porrò sunt hæ: Primò collocutio fiat coram delectis utrinq; præsidibus, qui processum moderentur, alijs quoq;, non ex Theologico duntaxat ordine, sed etiam politico, viris doctis, intelligentibus, & veritatis atque pacis amantibus,

8. Deinde fiat loco non suspecto, nec ad injuriam opportuno: cum haud obscurum sit, Pontificios opportunitatē nactos argumenta non ratione solvere, sed ferro, estq; apud ipsos tritum illud: hæreticis non esse servandam fidem.

9. Tertiò, ut ante collocutionem utrinq; constet, de quibus articulis seu capitibus doctrinæ disputatio futura sit. Cum enim Papatus sit sentina quędam errorum (quales sunt, Justificatio operum, dubitatio de gratia Dei & æterna salute, doctrina tota Monachorum de votis Monasticis, eorumq; meritis & jactatis supererogationis operibus, indulgentiæ papales, corruptibili auro, argento ve redimendæ, Limbus patrum, ignis purgatorius, Invocatio sanctorum demortuorum, Psalterium Mariæ, peregrinationes ad Divorum sepulchra, adoratio statuarum, quę habent oculos & non vident, aures & non audiunt, &c. dogma de peccato originis, quod tam leve sit malum, ut naturalia reliquerit integra: dogma de libero arbitrio & naturali facultate applicandi se ad gratiam: dogma de originali peccato per baptismum funditus eradicatione, de concupiscentia remanente quidem, quę tamen propriè ac verè peccatum non sit, de possibilitate implendi legem in hac vita, de pœnitentia ejusq; partibus, cõtritione cordis, confessione oris, seu

seu peccatorū omniū enumeratione, & satisfactione operis: de sacrificio Missæ, de communione sub una specie, uti vocant, de Transsubstantiatione, & consecrati panis adoratione, circūgestatione, de chrismate in baptismo, de efficacia baptismi per peccata mortalia penitus expirante, de baptismo campanarum in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti: de Sacramento Confirmationis dicto, de extrema unctione, de ejuratione mille diabolorum ex aqua, sale, oleo &c. de matrimonio, quod sit Sacramentum, sed tale, in quo qui vivunt, Deo placere (secundum jus Pontificium) non possint; quodq; Sacramentum hoc cum altero, quod ordinis esse fingunt, cōjungi nequeat, adeoq; de cœlibatu Sacerdotum, seu prohibitione conjugij sub nomine doctrinæ dæmoniacæ notata ab Apostolo: de prohibitione ciborum, quos Deus creavit ad sumendum cum gratiarum actione credentibus: de primatu Papæ extollentis se super omnia: de Episcopis Principum more ac modo dominantibus: de tota hierarchia Ecclesiastica regni pontificij, nimirū Papa, Cardinalibus, Episcopoprincipibus, Monachis, Monialibus, missificulis &c. de Ecclesia vera catholica, de Ecclesia Romana Pontificia, num ea in capitibus modò commemoratis non errarit, adeoq; ne quidem errare possit: de ordinaria successione, Concilijs &c.) Nos bonitate causę freti, de omnibus his atq; singulis capitibus coram delectis arbitris in legitimo colloquio collationem piam & modestam incunctanter eis deferimus.

10. Quartò, ut sine circuitione vel tergiversatione, (quam nonnulli Pontificij doctores iniquis suis & absurdis, & in Ecclesia Dei prorsus inauditis, & à praxi Christi & Apostolorum alienissimis postulatis produnt, hoc ipso testantes, quod lucem revera defugiant) de ipsismet rectà controversis articulis agatur,

11. Quintò, ut pro unica norma & regula doctrinæ infallibili utrinq; statuatur & agnoscat sacra scriptura, ita quidem, ut quod in ea vel expressè positum ostenditur, vel per bonam consequentiam inde educitur, recipiatur, quod autem non in ea vel expressè traditur, vel per bonam consequentiam inde extruitur, tanquam erroneum reprobetur.

12. Sextò, ut judex omnis controversiæ nobis utrinq; sit eadem sacra, & à Dei spiritu patefacta & inspirata scriptura

Prophetica & Apostolica: seu (quod idem est) Spiritus Sanctus in Scriptura nobiscum loquens, suamq; mentem de omnibus articulis per verbum scriptum ceu vocem suam adaperiens.

13. Septimò, ut sensus & interpretatio allegatorum ex scriptura testimoniorum eruatur ac demonstratur ex ipsamet scriptura, hoc est, ex contextu verborum, seu præcedentium & sequentium junctura, ex scopo quem intendit ibi Spiritus Sanctus, ex phrasi & proprietate linguæ, ex perpetuo tenore & harmonico consensu ac concentu Scripturæ, quem Paulus Apostolus nominat analogiam fidei, cui prophetiam omnem sive interpretationem jubet esse consentaneam, Rom. 12.

14. Octavò collatio sit placida, nec perstrepat convitijs, libera tamen, ut cum res postulat, scapham scapham nominare liceat, quod quomodo velimus intelligi, per exemplum declarare juvat.

15. Si disputetur de primatu Pontificis, & à nostris dicatur, eum primatum, quem hodiè sibi vendicat & usurpat Pontifex, teste ac iudice Paulo 2. Thess. 2. à Diabolo introductum & esse notam Antichristi: vel si disseratur de prohibitione conjugij aut ciborum, & allegent nostri locum Apostoli, 1. Tim. 4. nominantis doctrinam Dæmoniorum: hinc quisq; intelligit, quando Apostolum imitati vi allegationis itidem sic nominamus, pro convitio haberi nullo jure posse.

16. Itaq; licet doctrina falsa vituperanda sit, & dogmatum notanda impietas: tamen ut à convitijs personalibus in ejusmodi colloctione abstinenceatur, res ipsa flagitat.

17. Nonò, ut colloquentes statum controversiæ diligenter attendant, & ad hunc ceu præfixum scopum sua tela dirigant, proinde cavillationes vocabulorū, sophisticas elusiones, evagationes ad πᾶρεργα, & ociosas declamationes de rebus ad cardinem disputationis nihil pertinentibus, omittant.

18. Decimò liberum sit cuiq; parti, vel perspicuis scripturæ sacræ testimonijs sententiam suam demonstrare, vel etiam cum opus videbitur, probationem in syllogismi formam redigere.

19. Ut autem nihil quicquam proponatur vel etiam admittatur,

mittatur tanquam ad probandum idoneum, nisi forma syllogistica sit vestitum, quemadmodum virulentissimus ille Apostata & insolentissimus Thraso D. Pistorius pro dono, quo pollet, impudentiæ postulare cum antehac in Colloquio Badensi, tum alibi fuit ausus, adeo ut perspicuum etiam Spiritus Sancti testimonium 1. Cor. 11. non prius vim probationis habere judicaret, quam in syllogismi formam reductum foret: id verò ut absurdum, & iniquum, & impium, & in scripturam sacram atque hujus autorem, Spiritum Sanctum, contumeliosum, & in Ecclesia Christi prorsus insolitum & inauditum merito repudiamus, præsertim quod hoc finem absona petunt adversarij, ut omissis materialibus sive rebus ipsis, occasionem arripiant altercandi de syllogismorum formis, de regulis consequentiarum in dialecticis, ut hisce *παρέρυοις* extrahatur tempus, ne ad accuratorem examinationem ipsorummet articulorum perveniri queat. Quod exemplo suo testatus est Apostata in Colloquio Badensi.

20. Disputavit cum hostibus veritatis Christus, similiter & Apostoli, & orthodoxi patres: quod autem inde ab orbe condito in ullo colloquio talis lata lex sit, ut ad probandum admitteretur nihil, nisi astrictum figura syllogistica, vel quod Christus, & Apostoli, & Patres, suas probationes semper ita redegerint in syllogismos, aut quod ulli unquam fuerint adversarij tam enormiter impudentes, (nisi forte Samosatani soboles, Ecclesiastica historia teste, vel Aëtius Arii sectator referente Epiphonio) qui hoc flagitarent, haud equidem meminisse possumus.

21. Christus certè in suis colloquutionibus cum Phariseis, interdum brevi quæstiuncula, citra pompam illam syllogisticam, negotium expeditum dedit, & Scripturæ testimonijs ita causam suam evicit, ut conatus omnis hostium in nihilum evanesceret.

22. Non diffitemur, in Scholis utiliter constitutum, ut juvenis argumenta sua syllogisticè proponat: disputatur enim ibi tantum coram literatis, qui & de forma & materia judicare possunt.

23. At

23. At quando Colloquium instituitur, habendum non tantum in praesentia literatorum, sed aliorum etiam, ac proinde lingua populari, in qua syllogistica illa ratio probandi non eam habet gratiam, quam in latina: liberum merito esse debet, vel uti syllogismis, vel ad exemplum irrefragabile Salvatoris alijs etiam probationum modis, dummodo non ἀμείνωδως disputetur, vel etiam ἀσυλλογίστως: sed ita sit comparata probatio, ut **POTESTATE** queat inde syllogismus confici.

24. Cæterum ut clara dicta Scripturæ demum redigantur in syllogismos, nec eis ita propositis, sicut illa Spiritus Sanctus in S. Biblijs proponit, fides habeatur, ni prius induant syllogismi formam: quam id sit incongruum postulatum, amicis pariter & inimicis cogitandum relinquimus.

25. Et qualis, obsecro, nascetur λεπτολογία, si in quovis dicto scripturæ ad probationem afferendo, hic syllogismus subinde ingeminandus sit: Quicquid asserit Scriptura sacra, id pro vero & orthodoxo habendum est. Scriptura sacra asserit hoc vel illud, hoc vel illo loco. Ergo pro vero habendum est.

26. Cum quidem sine hoc syllogismo confestim dictum ipsum Scripturæ (quod in syllogismo jam posito locum Minoris obtinet) inspicere, & ex contextu, alijsq; modis paulò antè notatis ponderari debeat, sitne productum in vero & genuino sensu, quem illic intendat Spiritus Sanctus.

27. Interim Pontificijs liberum esto, proferre, quot volent syllogismos: sentient nos Dialecticæ non ignaros. Ita namq; syllogismos eorum confodere per Dei gratiam parati sumus, ut auditori veritatis amanti difficile futurum non sit judicare, utra pars veriore sententiam sequatur & defendat.

28. Undecimò, si in uno aliquo articulo pars utraq; sententiam suam cum præcipuis argumentis vel scripturæ testimonijs in medium produxit, & utrò citroq; ventilata res est: permittatur iudicium præsidibus & auditoribus, & ad sequentes articulos fiat progressio, qui eodem, quo prior ille, modo tractentur & excutiantur. Atq; hæc quidem sunt præcipuæ conditiones; de cæteris agi posset coram,

29. Porro

29. Porro quia de Canone sive norma & regula doctrinae, ad quam in futuro Colloquio omnis disputatio exigenda est, ut & de Iudice controversiarum, potissima quaestio est, & Pontificij in Colloquio Vormatiensi eò proterviæ profuerunt, ut dicerent, Scripturam non esse vocem iudicis, sed materiam litis: operæ precium est, hæc duo quaesita paulò altius ex Scripturae fundamentis eruere & pertractare.

De Norma doctrinae, ad quam in Colloquio omnia sunt exigenda.

30. Prius quod attinet, sonora voce pronunciamus, nos in rebus ad doctrinam, fidem, cultum & salutem pertinentibus, aliam regulam, Canonem atq; normam, quæ certa sit & indubitata, præter Scriptum Dei Verbum, ignorare.

31. Moses ad verbum Dei (quod & voce viva promulgarat Hebræis, & Domini jussu in literas retulerat Exod. 24. & 34. & Deut. 31.) tanquam ad unicam normam vult non modo vitæ rationes, sed omnem omnino cultum & doctrinam de Deo tam exigi præcisè, ut huic verbo Domini nec addi quicquam sinat nec detrahi, nec ad dextram ab eo recedi, nec ad sinistram, Deut. 4. & 12.

32. Psalmo 19. verbum per Apostolos prædicatum linea dicitur, sumpto simili ab ædificantium amussis seu perpendiculo, dicente Propheta: In omnem terram exivit amussis seu regula eorum.

□□□
linea eorum.

33. Quid autem prædicarint Apostoli, non aliundè quam ex illorum Scriptis indubitato sciri potest. Cumq; numero idem sit verbum Apostolorum, sive id prædicetur voce, sive post in literas referatur: utiq; vi allegati testimonij Davidici non minùs Scripto Apostolorum verbo, quàm eidem ab illis prædicato, hoc elogium normæ sive Canonis accommodatum esse convincitur.

34. Totius fermè Psalmi 119. summa & argumentum huc unice spectat, ut Propheta verbum Dei doceat esse normam & lucernam ut vitæ & actionum suarum, sic in primis fidei, doctrinae atq; cultus, quem omnem ipse ad præscriptum divini verbi componat & conformet.

35. Sic Esaias octavo capite populum Iudaicum remittit ad legem & testimoniũ, utiq; ceu normam fidei simul ac vitæ:

B

addens

addens hanc comminationem: si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Vbi particula (juxta vel secundum) ceu digitum intendit ad hanc definitionem Normæ, juxta quam omnes rationes cultus & aliarum actionum Iudaici populi debeant esse conformatae.

36. Et Lucae 16. dicens Abrahamus: Habent Mosen & Prophetas, hos audiant, subindicat certè 'si quis horum doctrinam, scripto illorum verbo comprehensam, ceu normam unicam, sequatur, hunc tenere rationem ac modum, quomodo per Dei gratiam infernales cruciatus possit effugere, & æternam salutem consequi.

Rom. 10. 37. Confirmat idem Apostolus Paulus, quando fidem ex auditu verbi Dei esse pronunciat, hoc ipso testificans, quicquid homo in negotio religionis sentiat aut suscipiat, quod in verbo scripto non extet, nec inde per legitimam consequentiam educi queat, id ex vera fide non esse: quod autem ex fide non est, peccatum est, Rom. 14.

38. Cum primis autem observanda est ejusdem Apostoli sententia Gal. 1. ubi damnat omne dogma, quod ex Evangelio à se prædicato petatum non sit, anathemate feriens, etiam Angelum è caelo prodeuntem, si prædicet aliud Evangelium, præter id, quod ipse & reliqui Apostoli prædicaverunt.

39. Quia verò Paulus & reliqui Apostoli erant à DEO constituti, ut non ijs duntaxat hominibus, qui tum vivebant, prædicarent, sed nobis omnibus ad novissimum usque diem: quamobrem secundum Evangelium Pauli non ij modò judicantur, qui voce præconiantem audierunt, sed etiam nos: & verò Evangelium Paulinum non nisi in ipsius scriptis ad nos pervenit: rectè hinc infertur, P R Æ T E R scriptum verbum Pauli cæterorumq; beatorum Apostolorum ut & Prophetarum, normam aliam non esse admittendam.

40. Iam quod Scripturam divinitus inspiratam utilem esse scribit ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in justitia, ut perfectus sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus: hoc elogio demonstrat, omnem de DEO & rebus fidei ac salutis doctrinam, omnem *ἑλεγμονήν*, seu redargutionem, errorum juxta & peccatorum, omnemq;

omnemq; institutionem, ad hanc amissim reuelatæ scripturæ
debere exigi, non tanquam normam imperfectam & partia-
lem, uti Papistæ contendunt, sed totalem & objecto, cui adhi-
betur, adæquatam. Quomodo enim ad hæc omnia perfectum
efficeret Christianum, ut quidem Apostolus claris verbis enun-
ciat, si tam esset imperfecta scriptura, ut necesse foret illius de-
fectum aliunde sarcire?

41. Et quia producta testimonia luculenter astruunt, huic
verbo scripto nihil addi debere nec detrahi, nec ad quicquam
aliud in cultu religionis atq; moribus astrictum esse hominem,
præterquam ad legem & testimonium, nec extra hoc verbum
Dei fidem posse concipi: nos contra portas inferorum hinc
concludimus: Scripturam sacram omnis de Deo & rebus ad
salutem necessarijs doctrinæ **VNICAM** esse normam, undi-
quaque perfectam, suoque correlato, ut dictum est, adæqua-
tam.

42. Atque hoc etiam Scriptores Ecclesiastici perspicue
fatentur, Siquidem Tertullianus contra Hermogenem scri-
bens testatur, si quid proferat Hermogenes, **QVOD**
SCRIPTVM NON SIT, timere illum debere, væ il-
lud, **ADDENTIBVS VEL DETRAHENTIBVS**
destinatum.

43. Basilius in sermone de fidei confessione, superbiæ & in-
fidelitatis argumentum nominat, si quis eorum, quæ scripta
sunt, aliquid velit reijcere, **AVT EORVM, QVÆ**
NON SVNT SCRIPTA, INTRODUCERE.

44. Quæ sententia pulchrè congruit cum dicto Theo-
doreti, qui super Genesin scribit: **AVDAX ESSE**
FACINVS, asseverare illa, **DE QVIBVS HABE-**
TVR NIHIL EXPRESSE IN SCRIP-
PTVRA.

45. Et **ἡ ἀσκητικὸς** inquit Basilius: Oportet audito-
res, qui sacris literis eruditi sunt, examinare illa, quæ à Docto-
ribus dicuntur, & **SCRIPTVRIS** quidem consona accipe-
re, repugnantia verò reijcere.

Chryso:

Chrysof. 46. Chrysoſtomus NVLLAM ALIAM PRO-
in Evang. BATIONEM POSSE ESSE ſcribit veræ chriſtiani-
Matth. 24 tatis, neque refugium Chriſtianorum aliud, volentium cogno-
hom. 49. ſcere fidei veritatem, NISI SCRIPTVRAM DIVI-
NAM. Idem ſacrarum literarum iudicium nominat exqui-
ſitam bilancem, & amuſſim, & regulam. Et addit: idcirco vos
omnes hortor & oro, ut omiſſo eo, quod huic aut illi de hiſce
videtur, è ſacra SCRIPTURA petantur OMNIA.

Hieron. in 47. Notæ etiam ſunt Beati Hieronymi ſententiæ, quod
cap. 23. de ſcripturis autoritatem non habet, eadem facilitate conte-
Matth. Et mni, qua probetur. Et, quæ absq; autoritate & testimonio ſcri-
in cap. 1, pturarum, quaſi traditione Apoſtolica ſponte reperiantur &
Aggæi. conſingantur, ea percuti gladio DEI.

48. De eadem plenitudine, perfectione & ſufficientia hu-
jus Canonis, amuſſis, normæ ac regulæ, concionatur Auguſti-
nus, multis in locis, præcipuè cum in Tractatu 49. in Iohan-
nem ait, electa eſſe (ab Evangelis & Apoſtolis) quæ ſcribe-
rentur, quæ SALVTI CREDENTIVM SVFFI-
CERE videbantur.

49. Inprimis autem obſervatu digna eſt ſententia, quæ
extat in lib. 3. contra literas Petilianæ Donatiſtæ cap. 6. his
verbis: proinde ſive de Chriſto, ſive de ejus Eccleſia, ſive qua-
cunq; alia de re, quæ pertinet ad fidem vitamq; noſtram, non
dicam nos, nequaquam comparandi ei qui dixit, licet ſi nos, ſed
omniò quod ſecutus adjecit, ſi angelus de cælo vobis annun-
ciaverit, PRÆTERQVAM QVOD IN SCRIP-
TURIS LEGALIBVS ET EVANGELICIS
ACCEPISTIS, anathema ſit.

Cyrill lib. 50. Sic quoq; Cyrillus, ea, quæ ſcripta ſunt, dicit SVF-
12. in Ioan FICERE tam ad mores, quàm ad dogmata. Et ad autorita-
c. 19. ult. tem ſcientiæ nec aliam ſcripturam debere ſuſcipi, nec quicquã,
quod non ſcriptura divina decernit.

51. His testimonijs Patres ceu collatis ſuffragijs decernunt,
omnis doctrinæ omniſq; de fide quæſtionis ac dijudicationis
unicum eſſe Canonem atq; normam, Propheticam & Apoſto-
licam doctrinam: quæ hinc nomen ſortita eſt, ut Canonica di-
ceretur.

52. Qua

52. Qua de re præclare Augustinus lib. 2. cap. 31. contra Cresconium Grammaticum inquit: Neq; sine causa tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, quos omninò judicare non debemus, & S. E. C. V. N. D. V. M. Q. V. O. S de cæteris literis vel fidelium vel infidelium liberè judicamus.

53. Sic Christus omnia dogmata, de quibus vel concionabatur auditoribus suis, vel disputabat cum Pharisæis, Legisperitis, Sadducæis &c. ad hanc unicam normam scripturæ judicavit exigenda. Idem Apostolos fecisse testantur Acta Apostolica, testantur illorum scripta.

54. Non diffitemur, inter Ecclesias consentientes post scripturam alia etiam Scripta symbolica venire appellatione Normæ: velut inter nostras Ecclesias est Augustana Confessio, & formula Concordiæ, sed hic vocabulum Normæ ἐπιπέλωσ duntaxat seu δὲ τῶν ἑσῶσ accipitur pro scripto, quod publico Ecclesiæ judicio examinatum & cum scriptura undiquaq; congruere deprehensum est.

55. In sublimi autem illa significatione, qua de Normæ αὐτοπίσω, & P. E. R. S. E. ac respectu S. V. I. certa & indubitata quæritur, sola Scriptura nomen augustum hoc meretur & obtinet.

56. Quicquid præter eam venditant Pontificij, id fidei normam (in primaria illa significatione) non esse, constanter asserimus.

57. Symbola equidem illa jam olim in Ecclesia recepta, Apostolicum, Nicænum & Athanasianum, ut & Ephesini & Calcedonensis Concilij Canones & decreta libenter amplectimur & veneramur, nec tamen summæ illi authoritati Scripturarum exæquamus.

58. Siquidem & ei symbolo, quod Apostolicum vulgò dicitur, idcirco habetur fides, quia constat ex scripto Apostolorum verbo esse desumptum & cum eodem undiquaque congruere. Quod enim Apostoli ipsi tales velut aphorismos conscripserint, indubitato demonstrari non potest, cum hujusce rei nec liber Actorum, nec beatorum Apostolorum Epistolæ quicquam meminerint.

De Traditio- 59. Crepant Pontificij traditiones Apostolorum, ab ipsismet
tionibus quidem (ut ajunt) non scriptas, sed viva voce traditas, verum
Apostolo- à Clemente Primo in literas relatas.

rum no- 60. Cæterum quid ijs uspiam incertius? imò quid certum
mine ven- magis, quàm ab Apostolis eas profectas non esse.

ditatis. 61. Demonstrat id styli diversitas. Siquidem Canones illi
non Apostolorum veterem, sed recentiorum & Pontificiæ no-
menclaturæ non absimilem stylum redolent, quod apparet ex
appellatione ministrorum Ecclesiæ, qui subinde nominantur
Clerici, cum quidem in scriptura Apostolica ne semel quidem
ita nominentur. Nam quod de Clero habet Petrus 1. Epist. 5.
ad totam pertinet Ecclesiam: & juxta Petrinam descri-
ptionem Christiani simul omnes sunt Clerici, quippe in
sortem sanctorum descripti, & in Domini hæreditatem
asciti.

62. Patet id ipsum ex rebus: siquidem in ijs Canonibus
pseudoapostolicis multus est sermo de oblatione, de altaribus,
de Templis, de luminibus interdium accensis, de thymiamate
&c. cum econverso temporibus Apostolorum Ecclesia
Christiana nec templa habuerit, nec oblatio illa missatica,
nec alia nunc enumerata ullo in usu fuerint.

63. Præterea si Canones isti fuissent ab Apostolis profe-
cti, oporteret esse scriptos, cum illi ad huc unâ essent Ierosoly-
mis, ante suam in universum mundum dispersionem.

64. Atqui rem tam memorabilem, quæ modum governa-
tionis totius Ecclesiæ præscriberet, reticere quî potuisset Lu-
cas, qui etiam minoris momenti res persequitur, in libro, quo
res gestas Apostolorum ex professo commemorat.

65. Et quî fieri poterat, ut istorum Canonum in tot Epi-
stolis ne semel quidem meminissent Apostoli? Nonne enim ad
eos, tanquam ad gubernationis Ecclesiasticæ normam, ablega-
turi erant Ecclesias, Ecclesiarumq; ministros?

66. Quid, quod Isidorus (referente Gratiano distinct. 16.)
Canones istos manifestè reijcit, inquiens: Canones, qui di-
cuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica re-
cipit, **NEC SANCTI PATRES** ijs assensum præbue-
runt

runt; pro eo, quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab autoritate Canonica & Apostolica, eorum gesta constat esse remota, atq; inter Apocrypha reputata.

67. Quemadmodum ipse quoq; Pontifex Gelasius, distinct. 15. c. sancta Romana &c. palam inter Apocrypha scripta refert, quod benè notandum est.

68. Adde quod qui approbant hosce Canones, de eorum tamen numero non consentiunt. Zepherinus Romanus Episcopus numerat sexaginta, Humbertus non nisi quinquaginta agnoscit, Synodus autem Constantinopolitana octoginta.

69. Quin Canones ipsi penitus introspecti satis ostendunt, quid de ijs judicandum sit. Sunt enim ex ijs aliqui scripto sanctorum Apostolorum verbo planè contrarij, velut Canon 27. cujus sensus est, ut si quis innuptus ad clerum provehiatur, ac post uxorem ducat, liceat quidem hoc illi, sed ita, ut ultra Cantoris aut Lectoris ordinem non ascendat, nec ad presbyterium aut Episcopatum pertingat: quod cum sanctione Paulina 1. Tim. 3. & Tit, 1. conciliari nequit.

70. Quidam Canones libertatem Evangelij à Christo nobis partam, & ab Apostolis commendatam convellunt, quales sunt 65. & 68.

71. Quidam nimis sunt duri ac rigidi: quemadmodum undecimus Canon tyrannicus est, qui sancit, ut qui cum excommunicato saltem in domo loquitur vel orat, communionem privetur. Sic ergo ne admonere quidem illum licebit. Quod pugnat cum doctrina Pauli 2. Thess. 3. Quamvis enim cum talibus juxta commonestationem Apostoli Pauli Rom, 16. & Iohannis Epist. 2. familiariter conversari non conveniat: tamen idem Apostolus Paulus censorium istum Canonem hac declaratione, citato loco mitigat: neque velut inimicum habeatis, sed admonete ut fratrem.

72. Aliqui

72. Aliqui Canones propè quaslibet ob causas à communione cœnæ arcet delinquentes, non servatis admonitionum gradibus, contra regulam Salvatoris Matth. 18. In horum numero sunt, præter undecimum modò notatum, etiam 55. & 56.

73. Verba Canonis 67. astipulantur errori Cypriani. Dicit enim; eos, qui ab hæreticis ordinati sunt vel baptizati, ut fideles vel Clerici sint, fieri non posse.

74. Sunt insuper, quos ne Pontificij quidem observant, ut quod Episcopis (qui videlicet ad Clerum provecti sunt jam mariti) conceditur habere uxores, quod subinnuit Canon 18. & sancitur sexto Canone, ut si quis Episcopus aut Presbyter, obtentu religionis, uxorem propriam reiiciat, excommunicetur.

75. Canon septimus Episcopos assumentes seculares curas ab Episcopatu deijci mandat. Atqui Romanæ Ecclesiæ Episcopi quàm maximè seculares curas assument, & politicam administrationem, more principum, sibi usurpant.

76. Canon 17. Episcopos presbyteros & Diaconos habentes concubinas à sacro ministerio arcet. Atqui in Papatu concubinatum Episcopis & sacerdotibus permitti & tolerari, res ipsa docet apertissimè, quicquid tandem contra manifestam experientiam excipere moliantur Pontificiæ sedis adulatores.

77. Porro, quamvis ab Apostolis profectos non esse Canones illos ex modò dictis abundè constat; tamen eo tempore quo scripti sunt, paulo meliorem fuisse statum Ecclesiæ, quàm post sub pleno Papatu, partim ex modò memoratis apparet, partim etiam hinc, quod in eis nulla fit mentio Papæ, nulla Cardinalium, nulla Archiepiscoporum, sed neque Monachorum, Abbatum, Monialium: Unde liquet, hierarchiam illam Pontificiam ijs temporibus haudum ita fuisse constitutam.

78. Quæ cum ita sint, facile jam cuiq; promptum est colligere, traditiones Apostolorum nomine jactatas, & sub titulo verbi non scripti venditatas, Normæ rationem haudquaquam obtinere posse.

79. Sed

79. Sed nec alias, quas Pontificij pro verbo non scripto nobis obtrudere conantur, moramur quicquam: cum demonstrare nequeant, quod ab Apostolis illæ dimanarint: & sub Apostolorum nomine Satanas quidvis confingere & attentare fuerit ausus.

80. Cum adhuc in vivis essent Apostoli, venditabant aliqui pro Apostolica traditione, quod conversi gentiles essent circumcidendi. Idq; tam confidenter jactitabant, ut necesse haberent Apostoli testificari publicè, à se dogma istud minimè profectum esse, dicentes, quosdam jubere gentiles, qui crederant, circumcidi, & servare legem, **QVIBVS NON MANDAVERAMVS**, Act. 15.

81. Sic pro Paulina traditione habebatur apud Thessalonicenses, quasi jam tum instaret dies Domini: & ut aliqui hanc eis opinionem, sicut & alijs persuaderent Ecclesijs, non veriti sunt Epistolas effingere, tanquam à Paulo scriptas. Itaq; Paulus disertè perhibet, hanc traditionem falsò sibi attribui, scribens 2. Thess. 2. rogamus vos, fratres, per adventum Domini nostri Iesu Christi, & nostri aggregationem in illum, ne citò dimoveamini à mente, neque turbemini, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam, **TANQVAM NOBIS AVTORIBVS**, quasi instet dies Christi.

82. Quàm facile etiam sermo aliquis vel à Christo vel ab Apostolis prolatus, nisi scriptiois adminiculo vindicetur à corruptela, possit aliter accipi & depravari: docet exemplum, quod Ioannis 21. descriptum extat.

83. Etenim ex sermone Christi ad Petrum de Ioanne: Si velim, ut maneat hic, donec venero, quid ad te? protinus enascitur opinio, Iohannem non esse moriturum, sed mansurum ad alterum usque Domini adventum. Ex opinione fuisset oritura traditio, nì Iohannes ipse sua illam scriptioe jugulasset.

84. Adeò facile potuerunt, Apostolis adhuc viventibus, oriri falsæ traditiones sub ipsorum nomine. Quid ergo non putabimus sub titulo traditionum Apostolicarum confingi potuisse post illorum ex hac mortali vita decessum, in hoc præsertim tam immani conatu Satanzæ & organorum ejus?

C

85. Ex

85. Ex his liquere satis arbitramur, sermonem Pontifici-
um de verbo non scripto seu traditionibus titulo Apostolorum
pictis, fictis, nihil aliud esse quam errorum Romanæ synagogæ
operculum. Cum enim Papa & Curia Romanæ Cardinales in
suis sint conscientijs convicti, quod dogmata sua, thesi nona su-
pra notata, ex verbo scripto in æternum tueri nequeant, exco-
gitarunt lepidum hoc commentum de verbo non scripto,
quod ubi sit, ubi volitet, quibus in libris contineatur, quibus in
bibliothecis asservetur, quod ejus sit fundamentum, nulla Si-
bylla divinando queat assequi.

Num scri- 86. Postquam fabula de traditionibus con-
pta Patrū. fossa est, pergimus ad alia. Nam fortè Pontificij, obtendant,
possint es- in futuro Colloquio pro norma doctrinæ atque fidei, præter
se Norma scripturam, habenda esse scripta Patrum. Et sanè de his quoq;
doctrinæ. multus est apud Romanenses sermo.

87. Cæterum ne hoc quidem eis ullo jure concedi potest.
Nam regula seu norma non debet esse fallax, curva aut inflexa,
sed undiquaq; recta, certa & indubitata. Ex fallacibus enim
aut dubijs principijs nihil certi concludi potest.

88. Reclamat autem Pontificiorum instituto res ipsa, ni-
mirum discrimen, quod inter Apostolos & inter reli-
quos Patres seu scriptores Ecclesiasticos esse constat. Et-
enim Apostoli post acceptum in die Pentecostes Spiritum
sanctum in doctrina non errarunt. Quod utrinq; in confesso est.

89. De Patribus id ne quidem Doctores Pontificij (licet
omnes pudoris terminos supergressi) confirmare audent, &
suis ipsi scriptis demonstrant contrarium: quemadmodum vix
quisquam Patrum interpretationes licentijs reprehendit,
quàm Bellarminus, apostaticæ sedis Cardinalis, quod ex Tomis
ipsius evidenter apparet.

90. Fuerunt Patres suo quisque tempore non majoris
fidei, nec majoris esse potuerunt, quàm hodierno seculo sunt
Doctores, qui nunc Ecclesijs præsent. Sicut verò hodiernis
Doctoribus absurdum foret tribuere, quod errare non pos-
sint, sic eadem ad unguem & ad amussim ratione fuerit absur-
dum, pronuntiatis atque scriptis Patrum autoritatem tribuere
Canonicam & erroris prorsus immunem.

91. Et

91. Et si non tantum Prophetarum & Apostolorum scriptis gubernanda esset Ecclesia, sed etiam Patrum omnium, qui cunctis à Christo nato vivere seculis, voluminibus oneranda; ita ut non solum ex Bibliorum codice alioqui satis spisso & magno, sed insuper ex immenso illo pelago & Oceano scriptorum, quæ à Patribus relicta sunt, statuendum foret de causa religionis; & de uno seculo subinde ad alterum foret insuper expectandum, qui præterea Doctores subsequenter ætatis Papæ iudicio pro authenticis habendi, & in causa religionis adsciscendi forent arbitri: quis non intelligat, onus imponi Ecclesiæ D E I incomparabiliter majus & intolerabilius, quam fuit unquam sub lege impositum Iudaicæ Ecclesiæ?

92. Etenim si de loco aliquo Scripturæ, incidat disceptatio: quandoquidem infinita est interpretationis apud Patres diversitas: quomodo dignoscendum erit, cui ex disjunctissimis illis interpretationibus præ cæteris sit adhibenda fides?

93. Sic interim hærebunt in suspensio mortalium conscientiæ, nec poterunt ex ijs dubitationum fluctibus emergere, donec universus Oceanus ille Patrum fuerit lectione superatus, & certi quippiam ex ijs definitum.

94. Imò si maximè deprehendetur, in quam sententiam plerique Patres propendeant: tamen quia constat, non esse numeranda, sed ponderanda suffragia, ita ut haud rarò paucorum sententia verior prævaleat omnium reliquorum opinionibus, hinc verò rursus hærebit aqua, cui sententiæ potissimum sit accommodanda fides, Vbi manebit interim *πληροφροσύνη* conscientiæ?

95. Sunt Patrum expositiones sæpè tam alienæ, tam perplexæ, tamq; obscuræ, ut textus ipse Biblicus, quem explicare tentant, longè sit illorum interpretatione dilucidior. Itaq; suis expositionibus haud rarò scripturæ loca non illustrant, sed nebulam & caliginem offundunt: quod exemplis propè innumeris ad oculum demonstrari posset.

96. Proinde

96. Proinde quemadmodum Pontificij scripturam contendunt debere accipi secundum interpretationes Patrum: sic nos Patrum interpretationes potius ad scripturę normam exigendas esse docemus, & rerum ordinem ab adversarijs inverti palam profiteamur: haud aliter, ac si quis rem mensuratam transformet in mensuram, mensuram vice versa in rem mensuratam.

97. Patres sæpenumerò errasse, si Pontificij negent, næ frontem fortissimè perfricuerint oportet. Noti sunt non tantum Origenis errores & Tertulliani, sed etiam Cypriani de baptismo ab hæreticis collato, Patrum item Ecclesię Romanę, qui referente Augustino Cœnam Domini docuerunt infantibus porrigendam: Hieronymi de secundis nuptijs, quas eadem censura, qua scortationem, damnat, cum tamen Paulus disertissimè non solum eas concedat, sed Apostolica autoritate mandet: **V O L O, juniores viduas N V B E R E, L I B E R O S G I G N E R E,** domum administrare &c. 1. Tim. 5.

98. Quis possunt igitur illorum scripta esse norma religionis fidei ac doctrinę? quando quidem in confesso est, normam aliquam non debere esse curvam, non incertam, sed undiquaque rectam & certam, quod quàm non competat sanctorum Patrum scriptis, non modò jam ostensum est, sed ipsimet de suis pariter & aliorum scriptis indubiè sunt testati.

99. Augustinus Epistola 19. ad Hieronymum ita scribit: alios ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaq; præpollerant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.

100. Et ibidem: Ego, fateor charitati tuę, solis eis scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam.

101. Et contra Faustum Manicheum lib. 11. cap. 5. ait: In opusculis posteriorum (Patres intelligit) quę libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimę Canonicarum scripturarum excellentiæ coęquantur: etiam in quibuscumq; eorum invenitur eadem veritas, longè tamen est impar:

par autoritas. Et paucis interjectis ait; in Patrum legendis
Scriptis liberum habet lector auditorve iudicium, quo vel ap-
probet, quod placuerit, vel improbet quod offenderit.

102. Idem contra Cresconium Grammaticum lib 2. cap.
32. Ego huius (Cypriani) autoritate non teneor, quia literas
Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis confi-
dero, & quod in eis divinarum scripturarum autoritati con-
gruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, cum
pace ejus respuo.

103. Chrylostomus disputans, ad quam regulam cujusque 2. Cor.
doctrina sententiaq; sit examinanda, sic ait: ne receptas vulgo Serm. 13.
opiniones circumferamus, sed res ipsas examinemus. Eum
qui non absurdum sit de pecunia non habere fidem alijs, sed
rem numero & calculo permittere, cum vero de rebus suffra-
gium ferendum sit, sine ratione aliorum ferri opinionibus?
Idque cum exquisitam bilancem omnium habeamus & amuf-
sim & R E G V L A M, sacrarum literarum iudicium & sen-
tentiam.

104. Quod autem obijciunt nobis Pontificij, errare qui-
dem interdum Patres in ijs, in quibus non scribant consentien-
ter. Quæ autem consentienter affirmant de dogmatibus, in ijs
non errare: putidum est nugamentum.

105. Primo enim affirmati sui rationem reddunt planè nul-
lam. Et potest id infringi contrarijs exemplis. Nam & popu-
lis Iudaicis, & doctores illius sive Patres, & Apostoli ad unum
omnes ante festum Pentecostes consentienter putabant, The-
biten Eliam è cælo in terras rediturum: consentienter opina-
bantur simul omnes, ipsiq; Apostoli (ante acceptum in die Pen-
tecostes Spiritum Sanctum) Christum habiturum in mundo
regnum quoddam mundanum, adeo, ut etiam post resurrectio-
nem Domini, paulò ante ipsius in cælos ascensionem, quære-
rent: Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israël?
Act. 1. Ergone pro dogmate id recipiendum esse putabimus,
quod consentienter ita fuerit habitum ab Ecclesiæ Iudaicæ
Doctoribus atq; Patribus?

106. Adhæc si ab interpretatione Patrum pendendum est,
& ea interpretatio sine dubitatione recipienda, quæ consenti-
enter

enter ab illis traditur: quis nos de consentiente illa expositione prius edocebit, quam fuerint omnium Patrum evoluta commentaria illa penè immensa: quod vel circa unam questionem laboris esset aliquot dierum: quid fiet circa omnes?
107.

Nisi enim ad unum omnium opera evoluerentur, nondum illud (consentienter) de quo Pontificij garrunt, esset demonstratum, quia hæreret animus, forsitan alios Patres, vel ex ijs unum aliquem secus habere, cujus unius instantia totum disijceretur opus.

108. Et quando (per Deum immortalem) Pontificij unquam evincant, dogmata sua suprâ enumerata, consentienter à Patribus esse credita & tradita?

109. Num enim Patres consentienter tradunt, esse Purgatorium? Imò vix unus & alter, cæteris hoc figmentum ignorantibus, quibusdam dubitantibus, alijs negantibus.

110. Et quotusquisq; ex illis docuit, invocandos esse sanctos defunctos? cœnam Dominicam, sub una duntaxat specie dandam Laicis? baptizandas esse campanas, in nomine Patris, filij, & Spiritus Sancti? suscipiendas esse peregrinationes ad sepulcra Divorum sub opinione meriti vitæ sempiternæ? malam concupiscentiam non esse peccatum? redimendas esse auro vel argento Papaies indulgentias? circumgestandum esse panem consecratum, adorandum in processione, & alia sexcenta? Vbi, quæso, hæc traduntur in Patribus? **CONSENTIENTER** præsertim?

111. Quod si Pontificij ipsimet suum illud (consentienter) nunquam evincere possunt, circa sua illa dogmata: quis non videt, irritum ab eis laborem suscipi, si hoc vel illud dogma Pontificium fortè in uno Patre nobis ostendant. Protinus enim excipiemus, non ab omnibus, non à tota vetustate consentienter ita fuisse traditum.

112. Cumq; ipsi Papistæ, & in his Bellarminus, interpretationes Patrum circa hæc vel illa loca scripturæ interdū propè omnes rejiciant, partim ut falsas, partim ut à textu scripturarum alienas: quæ, obsecro, pro norma doctrinæ, quam oportet esse certam, haberi queat ipsorum interpretatio?

113. Suum quidem eis suo loco, gradu & ordine tribuimus hono-

honorem, & ipsorum laboribus in multis grata mente utimur,
nec tamen eis tribuimus Canonicam autoritatem, quam ipsi
sibi arrogare nunquam fuerunt ausi.

114. Quin fatentur ingenuè, se errare posse, quod Augusti-
nus docet multis in locis. Id verò non faciunt Apostoli, sed ma-
ledictos pronunciant, si qui aliam doctrinam afferant Gal. 1.

115. Sed neq; Concilia pro norma indubitata
censeri debent, ad quam certò possit doctrina omnis exigi:
quandoquidem & Concilia sepe numero errasse testatur histo-
ria sacra partim, partim Ecclesiastica.

116. Neque Concilio per se, sive provinciale illud sit, sive
oecumenicum, vel tantillum creditur aut credendum est, nisi
decreta sua demonstrarit esse scripturæ Propheticæ & Apo-
stolicæ consentanea.

117. Hinc Divus Hieronymus super Epistolam ad Galatas
ait: Spiritus Sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita
est, contra quam si quid Concilia statuunt, nefas duco.

118. Et Augustinus ne quidem ad Nicænum Concilium,
quantumvis Oecumenicum, in disputatione contra Maxi-
mum hæreticum provocare fuit ausus, dicens: Nunc nec ego
Synodum Nicænam tibi, nec tu mihi Arimiensem debes tan-
quam præjudicaturus obijcere. Nec ego hujus autoritate, nec
tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorum-
cunq; proprijs, quæ utrisq; communes, res cum re, causa cum
causa, ratio cum ratione certet.

119. Proinde neq; Constantinus Imperator Synodo Nicæ-
næ aliquam per se (citra scripturæ sacre intuitum) autoritatem
attribuendam censuit, sed codice Bibliorum in medium pro-
ducto ait: Evangelici sunt & Apostolici libri, & antiquorum
Prophetarum oracula, quæ nos planè instruunt, quid de re-
bus divinis sit sentiendū. Proinde hostili deposita discordia ex
dictis divinitus inspiratis sumamus quæstionū explicationes.

120. Nec Deus ad multitudinem est alligatus, ut in Gene-
rali aliquo Concilio sit efficacior, quàm in Nationali. Nus-
quam hoc legitur, sed commentum est frivolum ac putidum
Pontificis & ipsius clientelæ.

*Concilio-
rum de-
creta non
posse ha-
bere ra-
tionem
normæ
infallibi-
lis.*

121. Non

121. Non minus adest Christus, ubi duo vel tres sunt in nomine ipsius congregati, quam si ex toto orbe conveniant Episcopi, aut innumeri conglobentur & conglomarentur rasi vertices. Et sæpè unus aliquis rectius statuit, quam trecenti alij. Sicut unus Paphnutius suo voto decretum impium prohibitionis conjugij sacerdotum impedivit, quod alias facturi erant in Oecumenica Synodo Nicena Patres cæteri.

122. Quapropter illud Panormitani dictum meritò laudandum est, cum asserit: Si Laicus veritatem dicat secundum scripturam, plus ei habendum fidei, quam Concilio etiam G E N E R A L I, mendacium proferenti contra scripturam.

123. Quam sæpè errarint Concilia, docent exempla subjuncta: Tempore Ahabi Regis Israëlitici congregata fuit Synodus Prophetarum, quæ decerneret, num bellum aduersus Syros in Ramoth Gilead ab Ahabo & pio Iolaphato susceptum probetur Domino vel non 1. Reg. 22.

124. Tota ea Synodus erravit turpiter, damnando non modò sanctum Domini Prophetam Micheam, sed universum populum Dei in præsentissimum periculum conijciendo. Et licet illi magnificè jactarent spiritum Dei, à quo suum consilium profectum sit (quem in modum & Pontificia Synagoga jactare solet) tamen vel unus Michæas pronuntiavit rectius, & demonstravit, sententiam Pseudoprophetarum à Satana esse profectam.

125. Tempore Christi Concilium magnum celebratum est Hierosolymis, à Caipha, cæterisque sacerdotibus, primoribus, Scribis, Pharisæis. Erravit autem ea Synodus gravissimè, dum & Christum Iesum filium Dei, & doctrinam ejus damnavit impiè, Matth. 26.

126. Poterat id Concilium pro totius populi Dei (qui quidem tum Ecclesiæ nomen obtinebat) generali Concilio haberi. Neq; enim ad definitionem universalis Concilij requiritur totius orbis consensus, quale Concilium nunquam celebratum est, neq; in æternum celebrabitur: Sed generale dicitur, quia ex Doctoribus, quàm latè patet cujusq; temporis Ecclesia, colligitur.

127. Proinde Concilium aduersus Christum congregatum, generale

generale fuit, quia tum (præsertim ad festum Paschatis conveniente univèrsâ natione Hebræorum) cœtus omnis Ecclesiasticorum erat congregatus, sicut Evangelistæ luculenter asserunt.

128. Erravit autem nihilominus, quantumvis præfideret in eo summus Sacerdos, qui ordinaria successione erat constitutus in officio divinitus ordinato, & qui plausibiliter jactare poterat promissiones huic ordini peculiariter factas.

129. Quantò magis ergò Concilium à Pontifice collectum errare potest, sive id Nationale dicatur, sive universale, seu generale & Oecumenicum: quandoquidem Papa nullam habet divinam vocationem, ut Caiphas, sed ipsum officium Papæ, quod multis gerit seculis, est ab ipsissimo Diabolo introductum, 2. Thess. 2.

130. Nam Petri Apostoli sedes nihil ad Pontificem pertinet, Quàm enim nihil sit commercij Petro cum Papa, sive officij conditionem spectes, sive doctrinæ genus, sive conversationem, vitam & mores: ex antithesi manifestum est, & qui volet lecto saltem libro Apostolicorum Actorum haud difficulter judicare poterit.

131. Post Apostolorum tempora quòd errarint concilia, per exempla demonstrare promptum foret.

132. Carthaginense Concilium, cui Cyprianus interfuit, indistinctè sancit, ut baptizati ab hæreticis, rebaptizentur.

133. Concilium Calcedonense rectè quidem damnavit Eutychem, interim Monachis & Monialibus non rectè interdixit conjugium.

134. Concilium Laodicenum licet justè condemnaret Novatianos, injustè tamen eos, qui ad secundas nuptias transerunt, puniri mandat, antequam ad cœnæ communionem admittantur.

135. Concilium Toletanum sub imperatore Honorio celebratum excommunicat parentes, qui filias post votum castitatis nubentes in gratiam reciperent: filiabus verò communionem cœnæ tantisper interdicit, donec maritis suis nuncium remittant. Hæreticum hoc est decretum, & ut Apostolus nominat, dæmoniacum 1. Tim. 4.

D

136. Con-

136. Concilium Milevitanum prohibuit nuptias parti imo-
centi. Et quam turpiter insecuta Concilia a Romanis Pontifici-
bus indicta erraverint, res ipsa clamat.

137. Gregorius VII. aliquot concilia coëgit, & decreta
impia fecit, quæ deinde per contraria Concilia damnata sunt
& abolita.

138. Stephanus Papa, ejus nominis sextus, Acta Pontificis
Formosi rescidit per Concilium, quod postea Iohannes X. per
aliud Concilium Ravennæ peractum condemnavit.

139. Pius secundus, Eneas Sylvius dictus, antequam Ponti-
ficiam sedem conscenderet, approbavit decretum Concilij Ba-
siliensis de abrogandis annatis, uti vocant.

140. Hoc decretum quantumvis in generali Concilio fa-
ctum, & à semetipso comprobatum, posteaquam factus est
Pontifex, ipso facto rescidit, nec vel ipse, vel ullus subsequenti-
um Pontificum eo teneri voluit.

141. Sic ergo proprijs exemplis testatum faciunt, esse me-
rum fucum, quando blaterant, Concilia generalia non errare :
quod enim aliter in corde suo sentiant, ipsimet re & facto testa-
tum reddunt.

142. Et certè quam enormiter errarint Patres Concilij
Constantiensis, damnando definitionem Ecclesiæ (quod sit cœ-
tus prædestinatorum ad vitam æternam, quam ex Rom. 8. ca-
pite exstructam esse constat) damnando quoq. doctrinam Hussi
de cœna Dominica Laicis integra danda juxta Salvatoris insti-
tutum, & Ecclesiæ Apostolicæ praxin, 1. Cor. 10. & 11. decer-
nendo insuper sceleratè, quod hereticis data fides servanda non
sit, id prolixè testantur ejus Conciliabuli Acta.

143. Ut nihil dicamus de Tridentino, cujus errores pu-
dendos ac detestandos detexit & solidissimè confutavit ac pro-
trivit D. Chemnitius in suo Examine, quod immotum & invi-
ctum stat & stabit adversus omnes inferorum portas.

144. Ex his liquet manifestissimè, non posse decreta Con-
ciliorum in negotio religionis & salutis pro norma reputari
fidei nostræ, multoq. minus sacris literis æquiparari in aliquo
Colloquio cum Pontificijs ineundo. Regula enim sive Norma,
sicut & antè dictum est, debet undiquaque esse recta, certa &
infalli-

infallibilis: quod de Concilijs nec affirmari, multò minus probari potest, contrarium verò ex præmemoratis haud obscure colligitur.

145. Multò verò minùs scrinium Pontificis Romani poterit in Colloquio cum Pontificijs esse Norma doctrinæ: *Scrinium, decreta & placita* iteaquam ex Evangelio demonstratum est, quod Pontifex sit *Rom. Pontificum* ipsissimus Antichristus, & illius Ecclesia Romana famulum illud & sanguinarium scortum Babylonicum, quod vino fornicationis suæ dementavit & seduxit habitantes in terra Reges, *pro Norma do-* & tribus, & populos. Apoc. 17. *ctrinae*

146. Nam quicquid de Cathedra Petri Romæ constructa, & ad eum locum alligata, & ad Episcopos Romanos restricta, *admitti non posse.* declamitant Romanenses, id totū est fabulosum & cōmentitiū.

147. Si Petrus Romæ fuit, nihil fecit aliud, quàm quod Hierosolymis fecit, & Antiochiæ, & Ioppæ, & Cæsareæ. Cathedram verò ejus occupant, quicumq; doctrinam illius sonat: quemadmodum super Mosis cathedra federe dicuntur Scribæ Hierosolymitani, quatenus populo Mosis scripta prælegebant, Matth 23.

148. Moses ipse nunquam venit Hierosolymam, vel ad alia loca cis Iordanem sita, quippe mortuus in valle Moabitarum trans Iordanem, Deut. 34.

149. Nihilominus cathedra ejus ibi est, ubi doctrina ejus est. Sic & Petri cathedra non Romæ est, ubi doctrina Petri sceleratè proculcata & suppressa est, sed in omnibus ijs locis, regionibus, civitatibus, pagis & abiectissimis etiam villis est Apostoli Petri cathedra, ubi fides per hunc Apostolum prædicata sonat.

150. Cumq; Mosis cathedra non fuerit huic vel illi alligata loco, sed per & propter Mosaicæ doctrinæ prædicationem ibi fuerit, quò Moses ratione suæ personæ nunquam venerat: multò magis cathedra Petri nulli loco alligata est in Novo Testamento, ubi juxta Salvatoris assertionem cultus Dei & Ecclesiæ Novi Testamenti status ab omni loco planè liber erat futurus, Iohan. 4.

151. Quæ cum ita sint, **NUNQUAM** Papa (in hoc quidem statu, quo se Christi vicarium, Ecclesiæ Patrem, caput,

fundamentum, sponsum & universalem pastorem jactat) sedit
super cathedra Petri, quantumvis titulum ejus ambitiosissime
venditaret; nec ulla est à Petro ad Papam consequentia, haud aliter,
ac si quis per absurditatem prodigiosissimam à luce ad tenebras,
à Christo ad Belial, à justitia ad injustitiam argumenta
texeret, & ex arena funiculos neceret.

152. Eoq; minus impurum illud scrinium Pontificij pe-
ctoris rationem habere potest normæ & regulæ, siquidem hi-
storix testantur, quam longè Pontifices multis seculis à semita
veritatis ad detestandos errores deflexerint.

153. Si de uno saltem Papa evincimus, quòd in fide erra-
rit, tota causa evicta est, nec ratio dari poterit, cur non etiam
reliqui Pontifices errare queant: atq; sic corruiit universa stru-
ctura turris illius Babylonice à Nimrodica factione Papparum
& assentatorum ac mancipiorum ejus exædificata.

154. Marcellinus certè Rom. Episcopus imolasse legitur
idolis gentilium in templo Isis & Vestæ. De quo Mantua-
nus ita canit: tunc Marcellinus & ipse,

Romulidum Pastor, victus formidine Christum
Prodidit, & plena Martis libavit acerra,

155. Liberius Episcopus Romanus sese minis flecti passus
est, ut horribili hæresi Arianorum subscriberet. Vide Epist.
Athanasij ad solitariam vitam agentes, pag. 454. Edit. Basil.
Anno 1564.

156. Stephanus ejus nominis primus fertur juxta Monta-
nistarum hæresim sanxisse, ut infames haberentur, qui defun-
cta priore conjugè ad secundas nuptias transirent.

157. Gerson in sermone Paschali & Aventinus lib. 8. refe-
runt, Iohannem XXII. dixisse publicè, animam ante novissi-
mum diem non recipi in Paradysum: contra quem errorem
hujus Papæ scripserunt Theologi Parisienses.

158. Iohannes XXIII. coram Concilio Constantiensi
fuit hæreseos damnatus, accusantibus eum Cardinalibus, Ar-
chiepiscopis, Episcopis, & alijs honoratis viris, testib; omni ex-
ceptione majoribus, hisce verbis, quæ actis ejus Concilij sunt

*Nota: inserta: Sæpè & sæpiùs coram diversis prælatis & alijs honestis
& probis viris, pertinaciter, Diabolo suadente, dixit & asseruit.*

& dogmatifavit, & astruxit: *Vitam eternam non esse, neq; aliam* ^{cc}
post hanc. Quin imò dixit, & pertinaciter credidit, animam homi- ^{cc}
nis cum corpore humano mori & extingui, ad instar animalium ^{cc}
brutorum, dixitq; mortuam semel, esse etiam in novissimo die mi- ^{cc}
nime resurrectionem. ^{cc}

159. Ejusdem fidei fuit Leo decimus, qui ipse quoq; im-
mortalitatem animarum non credidit, & Evangelicam historiã
de Christo pro fabula habuit.

160. Et scribit Panormitanus, multos Pontifices ejusmo-
di vitam agere, ut verisimile non sit, ipsos vel resurrectionem,
vel vitam aliam post hanc vitam credere.

161. Quin suorummet hominum Scriptis convincuntur
Pontifices, non modò quòd possint errare, sed etiam quòd actu
errent: idq; sic probamus: Absurdum est dicere, quod Anti-
christus ejusvè præcursor in fide non erret. At Pontifices Ro-
mani sunt Antichristi. Ergo. Rides, Iesuita? & principiũ peti-
autumas? Audi ergo probationem ex cujusdam Romani Pon-
tificis astructam principijs.

162. Gregorius Magnus, qui fuit Romanus Episcopus,
Antichristum aut Antichristi præcursores fore scribit, qui titu-
lum sibi usurpet universalis Episcopi. Hodierni Romani Pon-
tifices eum sibi titulum usurpant. Ergo sunt, ex pronunciato
Pontificis Gregorij Magni, Antichristi, & per consequens ab-
surdum est dicere, illos in rebus fidei errare non posse.

163. Majorem propositionem profyllogismi negare non
possunt, nisi affirment, Gregorium Magnum, hoc pronuncian-
tem errasse. Atqui fuit ille Romanus Pontifex. Ergo si dixe-
rint, errasse illum talia pronunciantem, nonne suo se gladio ju-
gulabunt, quòd Romani Pontifices errare possint?

164. Minorem propositionem non negant Papicolæ, si-
quidem orbi Christiano notum est, Pontificem Romanum sibi
sumere titulum universalis Episcopi. Stat ergo conclusio im-
mota, ex ipsorummet principijs astructa.

165. Imò Canone: Si Papa, distinct. 40. statuitur aperte,
Pontificem in casu hæresis posse ab Ecclesia judicari & de-
poni.

166. Et in Actis Concilij Romani, sub Hadriano extat,

Honorium Papam jure anathematizatum, quia de hæresi fuerit convictus. Et Cajetanus de autoritate Papæ & Concilij cap. 20. & 21. docet, Papam manifestum hæreticum posse ac debere deponi ab Ecclesia. Quin & Bellarminus hanc quæstionem, an Papa hæreticus judicari possit, tractat prolixè. Nisi ergo nugæ agere videri velint, his certè pronuntiatis testantur ipsi, fieri posse, ut Papa evadat hæreticus, & in religione erret.

167. Clamabant olim etiam Iudæi, Sacerdotes suos erroribus obnoxios non esse (planè sicut hodiè Pontificij de suo Papa clamitant) Jerem. 7. Non peribit lex à sacerdote, neq; consilium à sapiente, nec sermo à Propheta.

168. Sed huic voci papisticæ respondet Dominus Ezech. 7. quærent visionem à Propheta, & lex peribit à Sacerdote, & consilium à Senioribus.

169. Hanc sententiam Domini comprobavit experientia, siquidem multos summos Pontifices in Veteri Testamento errasse, falsos cultus introduxisse, Biblia amisisse, & veros Prophetas Domini, Ieremiam imprimis, tandemq; Dominum ipsum damnasse testantur annales Bibliici.

170. Et exempla nota sunt de Aarone instituentem cultum idololatricum, de Vria tempore Regis Ahaz, de Sacerdotibus tempore Ieremiæ, de Caipha, Hanna, cæterisque sacerdotibus, æternum Dei filium blasphemix accusantibus, cum ipsi potius enormiter essent blasphemi.

Exod. 32.

2. Reg. 16.

Jerem. 18

Matth. 26

171. Cum igitur, ut supra quoq; demonstratum est, Pontifices Veteris Testamenti, quorum ordo à Deo ipso fuit institutus, errare potuerint: quidni multò magis id statuendum fuerit de Romanis Pontificibus, quorum primatus non à Deo institutus, sed Apostolo disertissimè confirmante per operationem Satanæ fundatus & stabilitus est 2. Thess. 2.

172. Ad hoc verò amplius evincendum producimus argumentum aliud, petitum à stupendis, nefandis, execrandis & detestandis sceleribus atque flagitijs Romanorum Pontificum, qui multis seculis ita vixerunt, ut impossibile fuerit, illos a Dei Spiritu gubernari, ut in doctrina non errarent.

173. **U**t quòd illorum aliqui fuère magi, diabolo devoti, aliqui Sodomiticis sceleribus infames, alij Simoniaci longè omnium, quos terra tulit unquam, turpissimi: alij tyranni Dionysio Siculo & Nerone crudeliores, alij perjurijs toti delibuti, alij alijs immanibus & horrendis abominationibus per orbem Christianum celebres, adeò ut tetriora monstra huc Sol non aspexerit, quàm fuerunt illius cathedræ pestilentia Romanæ sessorum Pontifices.

174. **F**acimus ergo syllogismum hoc pacto: Apud quos regnat omnis omnium peccatorum, scelerum, flagitiorum & abominationum licentia, ad hos impossibile est sic alligatum esse Spiritum Sanctum, ut illos certò ab erroribus immunes præstet. Apud Romanos Pontifices multis seculis regnat effusa licentia omnium scelerum & flagitiorum, quæ vel diabolus ipse excogitare queat. Impossibile ergo, & absurdum, & impium est affirmare, Spiritum Sanctum esse ad hujusmodi immania portenta & Diaboli mancipia alligatum, ut omninò necesse habeat, eos in omnem ducere veritatem, ne uspiam in negotio religionis errent. Hujus Syllogismi si præmissa utraque fuerit confirmata, stabit immota conclusio.

175. **M**ajoris evidentia patet ex his testimonijs Scripturæ: Iohan. 3. dicitur: Spiritus spirat, **VBI VULT**: ac si dicat: Spiritus Sanctus sua gratia, & manifestatione veritatis & cognitionis **DEI**, non est ad locum vel personam ullam alligatus: sed hæc sua dona liberè operatur, in quibus vult ipse.

176. **Q**uos autem ita luce veritatis illustrare, & in ea regere & conservare velit, non opus est dubijs conjecturis, cum id in verbo **DEI** nobis dilucidè patefactum sit.

177. **P**salmo 25. dicitur: **Quis est, qui TIMET DOMINUM?** docebit eum viam, quam eligat. Et mox: **Secretum (seu mysterium) Domini TIMENTIBVS** eum, & pactum ejus, ut scire faciat eos.

178. **C**rebrò repetitur sententia hæc: **Timor Domini initium sapientiæ**, velut Iob. 28. Psal. 111. Prov. 1. 2. & 9. Eccles. 1. **Per sapientiam autem illic non mundana præcipuè sapientia,**
sed

sed coelestis intelligitur, cuius potissima nobilissimaq; pars est vera Dei agnitio.

179. Docent ergo citata loca, veram & erroris immunem cognitionem Dei esse cum timore Dei connexam. Timere autem Deum non dicuntur, qui in omni nequitia bacchantur & helluantur, quod de Pontificibus infra demonstrabitur.

180. Hæc sapientia seu cognitio Dei vera & ab errore libera, juxta testimonium libri Sap. 1. **NON INTRAT** in animam **MALVOLAM**, nec habitat in corpore subdito peccatis. Nam Spiritus disciplinæ Sanctus, **FUGIT**, quod fictum (seu hypocriticum) est.

181. Et cap. 7. ejusdem libri prædicatur de hac sapientia coelesti, in qua Spiritum Sanctum esse perhibet, quod in animas **SANCTAS** se transferat.

182. Syracides porro addit, Deum sapientiam illam dare his, **QUI DILIGUNT** ipsum cap. 1. Econtra stultos (quales sunt omnes impij peccatores) ait **NON** apprehendere sapientiam, & viros **IMPROBOS** non videre illam. Multò ergo minùs ad impios (quales in summo gradu fuisse multorum seculorum Pontifices Romanos paulò post probabimus) coelestis illa sapientia est alligata, ut eos ab omni errore tutos præstet.

183. Iam in valedictoria sua concione Salvator explicat, qui sint illi, quibus Spiritum veritatis elargiri velit; nempe qui sua servant præcepta. Sic enim illic Dominus: Si diligitis me, **PRÆCEPTA MEA SERVATE**. Et ego rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, **QUEM MVNDVS NON POTEST ACCIPERE**.

184. Mundi autem appellatione vel imprimis veniunt impij, manifestis ac nefandis flagitijs cooperti, è quorum censu esse Romanos Pontifices, irrefragabiliter & ad oculum paulò post demonstrabimus.

185. De talibus ergo cum Christus sonora voce clamet, quod Spiritum veritatis **NON POSSINT ACCIPERE**, quomodo (per Deum immortalem) affirmabitur, Spiritum veritatis ad hæc monstra sic penitus affixum, ut in rebus divinis errare planè non possint?

186. In

186. In eodem capite Salvator edisserens, quibus se aperire, id est, sui cognitionem largiri velit, hoc pacto concionatur: Qui habet præcepta mea, **ET SERVAT EA**, ille est, qui diligit me. **QVI AVTEM DILIGIT ME**, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & **APERIAM** ei meipsum.

187. Hoc affirmatum Christi, si verum est, ut certè verissimum est, mendacium econtra sit necessum est, quod Christus seipsum certò aperiat, sui que notitiam ab omni prorsus errore liberam infallibiliter communicet ijs Pontificibus, qui præcepta ejus non servant, sed ea horrendis peccatis transgrediuntur, ideoq; Christum non diligunt: qui enim diligunt illum, præcepta ejus observant, ipsomet claris verbis ibidem affirmante.

188. De talibus & Beatus Iohannes pronunciat 1. Epist. 2. Qui dicit, **NOVI EVM**, & præcepta ejus **NON** servat, mendax est, & veritas in eo non est. Et in præcedentibus dixerat: per hoc scimus, quod **COGNOVIMVS** eum, **SI IVSSA ILLIVS OBSERVAMVS**.

189. Hujus generis testimonia multa possemus huc referre, ut quod 1. Cor. 2. asserit Paulus, Deum mysteria sua, alias omni humanæ rationi incognita, revelare **DILIGENTIBVS** ipsum: quod Petrus inquit, Deum dare Spiritum Sanctum, **HIS, QVI OBEIUNT ILLI** Act. 5. Econtra quod Iohannes scribit: **OMNIS QVI PECCAT** (id est, peccata contra conscientiam committit, qualia vel maxime sunt Romanorum Pontificum peccata horribilissima) non vidit Deum, **NEC COGNOVIT EVM**.

190. Vbi observa, Iohannem Apostolum uti particula universalis (omnis) non excipiens inde Papam, quasi nimirum hic Deum noverit, & quidem ita noverit, ut in notitia Dei ne quidem errare possit, quantumvis peccet mortaliter, & in deploratissimis quibusvis flagitijs se voluet contra conscientiam.

191. Quid, quòd ea flagitia, quibus olim Ethnici, superioribus autem proximis seculis Romani Pontifices tenebantur immergi, Paulus expressè constituit effectum & mercedem idolomanie Rom. 1. propter quam traditos illos esse confirmat

E per cu

per cupiditates cordium suorum, in immunditiam, ut ignominia afficiant corpora sua inter se mutuò: qui commutarunt, inquit, veritatem mendacio.

192. Et paulò post ita pergit. Similiter & masculi relicto naturali usu foeminae exarserunt per appetentiam sui, alius in alium, masculi in masculos foeditatem perpetrantes, & **P R A E M I V M**, quod oportuit, **E R R O R I S** sui in se recipientes. Et quemadmodum non probaverunt, ut Deum agnoscerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut facerent, quae non conveniebat, repleti omni injustitia, scortatione, verlutia, malitia, &c.

193. Quapropter usq; adeò tales enormiter flagitiosi, Spiritum veritatis non habent sibi mancipatum, ut potius ejulmodi portenta flagitiorum Paulus praecedentis Idololatriae & errorum mercedem notanter & expressè nominet.

194. Stat igitur Major propositio testimonijs sacrarum literarum ceu columnis veritatis irrefutabiliter astructa, videlicet: Apud quos regnat omnis omnium peccatorum, scelerum, flagitiorum & abominationum licentia, hos à Dei Spiritu regi prorsus est ἀδύνατον, multoq; minus sic ad illos est Spiritus Sanctus alligatus, ut in rebus fidei errare nequeant.

195. Restat confirmanda Minor propositio, quae est: Apud Romanos Pontifices multis seculis regnat effusa licentia omnium scelerum & flagitiorum, quae vel Diabolus excogitare queat. Quod fusissimè demonstrari posset ex omnium propè populorum, maximè etiam ex augustissimorum Cæsarum atq; Regum querimonijs publicis, & Christianum orbem pridem pervagatis. Sed hic labor scriptum proprium requirit, & laboravit hac in re præclare Dominus Georgius Nigrinus Hassiae Theologus, multis in libris, eo præcipue utilissimo, cui titulu facit: **Papistische Inquisition vnd gülden fluß der Römischen Kirchen.** Nos hac vice ex illa sentina profligatae impietatis Papparum, quaedam duntaxat proferemus, sed ad omnem posteritatem memorabilia, quae Minori nostrae propositioni plenam fidem conciliabunt.

196. Habent hoc omnes Pontifices Romani commune, quòd fastu prorsus Antichristiano sese in immensum efferunt
supra

supra omnia, ita quidem, ut augustissimos etiam Cæsares atq;
Reges, quorum autoritas cunctis mortalibus sacrosancta esse
debebat, ad pedum suorum oscula aliaq; planè servilia ministe-
ris deijciant, & innumera alia faciant & exigant, quæ superbiã
declariant non humanam, sed planè diabolicam.

197. Atqui Spiritus Sanctus fugit superbos, & quod ex-
celsum est coram hominibus, est abominatio coram DEO,
Luc. 16. Estq; Syracide definiendo, initium superbiæ apostata-
re à Deo, & corde recedere ab opifice suo. Eccles. 10.

198. Absurdissimum igitur est, ad hujusmodi apostatas &
Deo exosos, ut scriptura superbos nominat, alligatum censere
Spiritum sanctum, præsertim in illo supremo fastus superbiæq;
legibus etiam sancitæ, multisq; seculis continuatæ fastigio.
Habet unum scelus.

199. Magistratui politico Salvator ipse tributum solvit, *Matth. 17*
& obedientiam præstari voluit, & Cæsari dari jussit, quod es- *Matth. 22*
set Cæsaris: & Apostolus omnem animam supremæ potesta-
ti subijcit, Rom. 13. quem locum interpretans Divus Chryso-
stomus etiam Apostolos huic supereminenti potestati subditos
esse oportere confirmat. Quod adeò verum est, ut Christus
Petrum (cujus vult videri successor Papa) cum servu-
lum duntaxat percussisset Sacerdotis, perduellionis re- *Matth. 26*
um agat: quid dicturus erat, si contra summum in toto
mundo Magistratum, Imperatorem Romanum, arma sumere
voluisset?

200. At Pontificibus omnibus lusus erat contra supre-
mam sub cælo potestatem Cæsaream arma sumere, gladium
stringere, concitare seditiones, & orbem terrarum bellis invol-
vere, hoc solo & unico fine, ut sacram ordinationem omnipo-
tentis DEI, Magistratum videlicet, quoquo modo depri-
merent, & Imperatorum Regna, Provincias, Civitates, quæ ju-
re divino simul & humano ad Cæsares pertinebant, ad se per
vim nequiter attraherent.

201. Quibus studijs se non Apostolorum successores osten-
derunt, sed tanquam seditiosi, & homicidæ, & prædones, in De-
um atq; ipsius in terris veros vicarios, augustos Imperatores,

sceleris omnium atrocissimi, nempe læsæ Majestatis divinæ pa-
riter & humanæ reos constituerunt.

202. Tales ergo putabimus ceu manicæ inclusum habere
Spiritus Sanctum, ut errare nequeant? En habes secundum
scelus itidem cunctis propè Pontificibus commune.

203. Quos regit Spiritus Sanctus, hos ad studium pacis fle-
tit, fructus enim Spiritus est pax, lenitas, charitas, benignitas,
mansuetudo, longanimitas, Gal. 5.

204. Pontificibus nihil quicquam fuit antiquius, nihil usi-
tatis, quàm ut Regum & Monarcharum animos in mutua dis-
sidia præliaq; accenderent: ex his namq; motibus crescere ipsi
poterant ac solebant, nempe rebus omnibus turbatis inter eos,
quorum potentiam suis conatibus obstare judicabant: interim
nauci pendentes & flocci facientes omnem eum sanguinem hu-
manum, qui in hisce motibus fundebatur.

205. Quod adeò verum est, ut de solo Iulio secundo testen-
tur historici, in bellis, quorum ipse fuit autor, ad ducenties
mille homines septennij spacio fuisse trucidatos: quantum er-
go sanguinis humani, tot Papparum innumeris, quæ gessere, bel-
lis, fusum arbitramur? præsertim cum vix quisquam inter
eos fuerit, qui non vel adversus Imperatores, vel Reges alios,
vel Antipapas, vel Cardinales, vel Gebellinos, uti vocabantur,
vel Italiæ Duces &c. bella gesserit.

206. O ergo sanctissimos Patres, nimirum hos credibile est
possidere Spiritum Sanctum ceu testamento legatum sibi, suoq;
sacro pectore inclusum. Tertium hoc est.

207. Homines ἀλλοτριεπισηκοποις, & in aliena officia sese
ingerentes, Petrus Apostolus, cujus se mentiuntur successores,
in classem reponit eam, in qua sunt fures & homicidæ, alijque
malefici, ad quos veritatem, ne errent, affixam esse, quis sanus
pronunciaret?
1. Pet. 4.

208. Tales autem ἀλλοτριεπισηκοποις fuere multis secu-
lis Pontifices ad unum omnes, qui cum deberent esse Episcopi,
omisso docendi munere, involarunt politicam gubernationem
regnorum, habentes sub se latissimas provincias, sed & alijs re-
gibus.

gibus imperare; & jus conferendi regna mundi sibi usurpare
prælumentes.

209. An hoc politicum officium Romanus Pontifex (si esset
Petrus veri successor) à Deo acceperit, an verò tanquam à Deo
ἄνευ ἰσχύος & præter jus fasq; sibi sumpserit, audiatur Chri-
stus ipse, qui suos Apostolos, & in his Petrum, ait: Reges
gentium, inquit, dominantur eis; & qui potestatem habent su-
per eos, vocantur benefici: **VOS AVTEM NON SIC.**
Sit hoc quartum omnibus Pontificibus commune scelus, quo
mirum, si non demereantur Spiritum Sanctum, ut in errorem
eos delabi non sinat.

210. Iam quid de perfidis, perjuris & scedifragis sentiendum
sit, scriptura minimè dissimulat, & refert Apostolus hoc scelus
in catalogum eorum atrocissimorum peccatorum, quæ dicit
ERRORVM esse mercedem, Rom. 1.

211. Verùm ne Pœni quidem unquam fuere perfidiores,
quàm usurpato quodam more majorum solent esse Pontifices,
qui fœdera cum Regibus inita tantisper servant, dum putant
sibi esse commodum. Sin minus: nequiter omnia jura violare,
& fœdera confringere lusus illis est. Imò nō ipsi tantū perjurijs
toti sunt marcidi, sed alijs quoq; licentiam & potestatem con-
cedunt fieri coram Deo, & mundo perfidos & extremè perju-
ros, dum subditos ab obedientia, quam Magistratui suo reli-
giosissimè juraverant, absolvunt flagitiosissimè. Longum foret
exempla recensere, petantur ex historijs.

212. Siccine ergo Spiritus Sanctus cœlesti sua veritate
astrictus est ad Pontifices eo scelere pollutos, cujus extremè
pudebat ipsos quoq; gentiles, & quod scelus errorum præmi-
um Divus Apostolus constituit? Age quintum hoc esto.

213. Quid de hominibus avaris & Simoniacis habendum sit,
nequaquam obscurum est. Fugit Spiritus veritatis, & odit hoc
hominum genus vehementissimè.

214. Quis autem in hoc genere avaritiæ, Simoniacæ & frau-
dam omnium exercitator Pontifex? qui cœlum ipsum & re-
missionem peccatorum vendit pro corruptibili auro & argen-
to? Hinc versus Mantuani:

Sunt venalia nobis

Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,

Ignis, thura, preces, cælum est venale, Deusq.

Sit igitur hoc sextum.

215. Affirmat Christus Iohannis 10. eum, qui non intrat per ostium in ovile, esse furem & latronem, & huic ostiarium, (qui est Spiritus Sanctus) non aperire.

216. At propè nullus unquam fuit Pontifex, qui non vel per ambitum, vel concitatam seditionem, vel per largitiones & Simoniacas emptiones, vel per alias rationes longè sceleratiores (de quibus in specie paulò post) hanc nequitiae sedem conscenderit.

217. Testatur Sigonius Pontificiæ sedis adulator alias devotissimus lib. 3. de regno Italiæ, quòd Pontifices Romani ad annos **DUCENTOS** non nisi per seditiones, aliaq; media offendiculi plena, ad hanc sedem pervenerint.

218. Quid, quod multis solenne erat, Pontifices è medio tollere veneno, ut sublatis illis ipsi post fierent Pontifices? Quemadmodum Gregorius VII. sex ordine Pontifices per administrum suum, Gerhardum Brazutum, singularem in hoc genere artificem, sustulisse scribitur, ut ad sedem Pontificiam sibi aditum patefaceret.

219. Hoc verò non est per ostium intrare in ovile, sed aliunde (furum & latronum instar) irrepere: atque nihilominus cogitur cœlestis ostiarius (spiritus sanctus) nolit velit, hisce furibus & latronibus aperire, atque sic eos illuminare, ut nulla in parte fidei quicquam hallucinentur. Habes septimum scelus Pontificibus commune, adeoq; catholicissimum.

220. Fuit insuper apud illos non insolitum, magiæ beneficio, & Satanæ, cui se totos devoverunt, auxilio sanctam illam cathedram occupare.

221. De Silvestro secundo, qui prius Gerebertus fuit dictus, verba sunt Patinæ Pontificij Scriptoris & Abbreviatoris: Gerebertus ambitione & diabolica dominandi cupiditate impulsus, largitione primò quidem Archiepiscopatum Renensem, inde Ravennatem adeptus, Pontificatum postremò, **ADIVVANTE DIABOLO**, consecutus est:

est: hac tamen lege, ut post mortem totus illius esset, cuius fraudibus tantam dignitatem adeptus erat.

222. Benedictus IX. qui antequam crearetur Pontifex, Magiæ beneficio in sui amorem quascunque vellet mulieres pellicere poterat (teste Bennone Cardinale) itidem his malis artibus aspiravit & pervenit ad dignitatem Pontificiam.

223. Hic Benedictus IX. deinde Pontificatum vendidit suo in magicis artibus sodali Gratiano, qui post appellatus fuit Gregorius Sextus.

224. Sic quoque Gregorius VII. Hildebrandus antedictus, magiæ fuit deditus, cuius etiam, referente Urspergio, coram Synodo Vormariensi, à Cæsare Henrico indicta, publice fuit accusatus.

225. De hoc scribunt, quòd quando manicas suas discute-
ret, ignis scintillarum in modum exilierit, & quòd panem consecratum, quem Christi corpus esse putavit, (si proprio suo dogmati fidem habuit) cum ex eo responsa contra Imperatorem quæreret, illa verò non redderetur, in ignem cõjecerit, dehortantibus, ne faceret, Cardinalibus. Unde Iohannes Episcopus Portunensis in Basilica Divi Petri, in suggesto, audiente Clero & populo, dixit: tale quid fecit Hildebrandus & nos, unde vivi deberemus concremari.

226. Alexander item sextus ex epoto per errorem veneno, quod de ipsius jussu quibusdam optimatibus propinandum erat, lethaliter ægotans, ministrum suum, Modenam, in conclave misit, ut libellum deauratum, in quo Magia & necromantia descripta erat, afferret, quo de vitæ suæ vel fine vel longiore spacio consulere Deum suum. Ibi minister offendit Satanam sedentem in Pontificia sede, habitu indutum Pontificali, ac dicentem: Ego sum Papa, qui etiam hoc sacrum suum pignus, animam Pontificis, repetens, & secum in abyssum ferens, discessit, teterrimo post se foetore relicto.

227. Sed & Paulus tertius, Beati Lutheri hostis acerbissimus, huic arti diabolicæ fuit deditus, & magos ac necromanticos honoribus, donis & facultatibus ornavit & locupletavit, quos Spiritus Sanctus, unà cum his, qui consulunt illos, lapidare jubet, Num. 20.

228. Neq;

228. Neque dubium est, quàm plurimos alios his studijs operam dedisse, atq. his præsidijs ad illud Pontificiæ dignitatis culmen ascendisse. Quidni ergo Spiritus almus ille veritatis in his monstris, & bipedum nequissimis nebulonibus habitare & affixus eis esse gestiat? Age sit hoc septimum enorme facinus.

229. Iam peccata contra sextum præceptum, non naturalia duntaxat illa, qualis est scortatio, sed à quibus ipsa penitus abhorret natura, ut sunt incestus, concubitus cum masculis &c. Paulus præ cæteris scribit esse mercedem idolclatriæ & errorum, Rom. 1.

230. Quàm fuerit hæc flagitiosissima vita Pontificibus usitata, vel solius Baptistæ Mantuani versiculi testificari possunt cumulatissimè, qui non refert, ut rem ignotam, aut paucis duntaxat cognitam, sed ut per universam Europam fama publica pridem pervulgatam. Sic enim ait:

„ Petriq. domus polluta fluente
Marcescit luxu. Nulla hïc arcana revelo,
Non ignota loquor, liceat vulgata referre,
Sic urbes populique ferunt, ea fama per omnem
Iam V E T V S Europam, mores extirpat honestos.
Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cynedis
Servit, honorandæ Divùm Ganymedibus ædes.

231. Hinc tot spurios Pontifici, quos ambiguo vocabulo nepotes appellabant, commemorant historici: imò aliqui Pontifices ipsimet fuere spurij, sicut Iohannes XII. Pontifex filius fuit Sergij itidem Pontificis ex Marozia.

232. Iohannes VIII. fœmina, Gilberta nomine, virilem mentita sexum post mortem Leonis IV. electa in Pontificem, & ab amatore suo compressa inter Colosseum & Clementis fanum in honorem Pontificiæ Sedis enixa est infantem ex fornicatione conceptum Anno 857. cuius rei ad posteritatem memoriale etiamnum extare dicitur.

233. Et testantur Scriptores, Pontificem, quando ad Lateranensem Basilicam proficiscitur, detestandi ejus facinoris causa viam illam consultò declinare.

234. Hæc historia ante restauratam Evangelij doctrinam, superioribus seculis negata non fuit, sed pro certa habita. Nam
qui

qui hanc Iohannem Papissam in recensendis Pontificibus omit-
tant, non ideo omittunt, quod historiam negent, sed quia ob
ignominiam sed factam incongruum esse ceitent, hoc sortū
inter Christi vicarios numerant.

235. Confirmat autem historiae veritatem Marianus Sco-
tas Scriptor vetustissimus, & post illum Sigebertus Gembla-
censis, Martinus Polonus, Palmerius, Volaterranus, Bergomen-
sis, Ranulphus, Nauclerus, Antoninus, Iohannes Pannonius, Io-
hannes Hussus. His suffragatur & Mantuanus his versiculis:

*Hic pendebat adhuc, sexum mentita virilem,
Fœmina, cui triplici Phrygiam diademate mitram
Extollebat apex, & Pontificalis adulter.*

236. Iohannes XII. in Concilio Romano fuit ab Italiae
Episcopis accusatus incestus & adulterij, & confirmant Scri-
ptores, quod in adulterio deprehensus & confossus sit. Hic est
ille, qui alea ludens in subsidium vocavit Satanam.

237. Extat in actis Concilij Constantiensis accusatio Car-
dinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum aliorumq. Præla-
torum, in qua de Iohanne XXII. inter alia horrenda scelera
commemorant hæc quoq.; quod cum uxore fratris sui & cum
Monialibus incestum commiserit, quod virgines stupravit, &
cum conjugatis adulteria perpetravit, aliaque incontinentiæ
crimina admisit.

238. Gregorius VII. vagis libidinibus & adulterijs sese
polluit, maximè cum Machtilda Azonis Marchionis adhuc su-
perstitis uxore, facto per Pontificem divortio, ut ea potiretur,
quæ etiam quod lateri Pontificis semper adhæreret, Sancti Pe-
tri filia fuit dicta.

239. De Innocentio VIII. & illius Antecessore Sixto IV.
scribit Volaterranus hæc sequentia, quæ quomodo intelligen-
da sint, ijs obscurum non est, quibus Curia Romanæ Florenti-
na castitas nota est. Sic verò Volaterranus in suis Commenta-
rijs Iulio 2. Pontifici dedicatis: Innocentius octavus (inquit)
Ioan. Baptista Cibo Genuensis, post Xysti mortem diebus 20.
cathedræ successit, qui pauper olim puer, forma tamen præstan-
ti inter Alfonsi Regis Siciliae ministros, inde Romam veniens

F

in con-

in contubernio Philippi Cardinalis Bononiensis fuit. Præsul
deinde Sauonensis : postea Melitensis à Xysto Datarius , po-
stremò Cardinalis factus est, cum ei (Xysto) plurimum DI-
LECTVS esset, ob DVLCES mores & humanitatem,
qua omnes VSQVE AD VITIVM superavit. Nam & in-
firmæ conditionis homines sæpè EX OSCVLABATUR
AMPLECTEBATURQVE. Hæc ille.

240. Alexander VI. ut testatur Marullus in epitaphio
ipsius, nothos habuit ad sedecim, inter quos fuit & Cæsar Bor-
gia bipedum nequissimus, qui cum ludendo perdidisset centies
mille ducatos, parvi duxit, tantæ pecuniæ jacturam, dicens esse
peccata Germanorum, ita nominans, quod noverat, Patrem su-
um, Alexandrum Pontificem per indulgentiarum nundinatio-
nem à Germanis eam sibi pecuniam comparasse.

241. Hic Pontifex incestum insuper commisit cum Lu-
cretia filia sua, quam & filius Pontificis, id est, Lucretiæ hu-
jusce frater, per incestum polluit. Vnde famosi hujus scotti Epi-
taphium à Ioviano Pontano scriptum :

*Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.*

242. Ejusdem notæ fuit Pontifex Paulus tertius, Conci-
liabuli Tridentini autor, qui cum nepte ex sorore, Laura Far-
nesia, in incestu à marito ejus deprehensus, pugione notatus
est : cum Constantia filia sua idem admisit scelus, & inter alios
nothos filium procreavit Petrum Aloisium, hominem, inter o-
mnes, quos hic sol aspexit, flagitiosissimū, qui Cosmum Cheriū
Episcopum Fanensem per vim stupravit, usus opera suorum,
qui illum distinerent.

243. Et quid attinet de singulis hisce portentis comme-
morare, de Leone X. deq; hujus nepote Clemente septimo,
Lutheri persecutore virulentissimo, quem veneficum, homi-
cidam, Lenonem, Simoniacum, Sodomitam, perjurum, supra-
torem, Geomanticum, sacrilegum, omniumq; scelerum artifi-
cem fuisse, literis proditum est.

244. Hoc

244. Hoc tantum adijciam, quod Paulus secundus Sodo-
mita scribitur fuisse turpissimus, sicut & Sixtus IV. qui con-
cessisse memoratur idem nefandum flagitium familiaribus
Cardinalis S. Luciae, tribus illis mensibus, Iunio, Iulio & Au-
gusto, ut eo se oblectarent.

245. Et Iulius III. Tridentini Concilij continuator, quo
tempore Bononiae fuerat legatus, in delitijs habuit adolescen-
tem Innocentium nomine, quem Pontifex ipse factus in Cardi-
natum collegium cooptavit, & in domesticam consuetudinem
rursus admisit, eiq; cognomen suum & insignia quoq; attribuit.
Erat tum Romae fama & libellis quoq; perscriptum fuit, à Iove
Ganymedem foveri licet deformem, nec id diffitebatur Ponti-
fex, sed reliquis Cardinalibus per jocum fertur commemoras-
se, quàm sit lascivus adolescens & importunus, Vide hac de re
Sleidanum lib. 21.

246. Hoc abominandum scelus quàm non sit à columnis
Ecclesiae Romanae alienum, hinc apparet, quod Iohannes de
La Casa, Archiepiscopus Beniventanus id publico celebra-
vit scripto, Venetijs excuso apud Trojanum Navium,

247. Solet aliàs Pontifex Lutheranorum damnare &
inflammare libros aeternam veritatem profitentes: at tales
suorum hominũ libros detestandos damnare non solet, quippè
cum suae Curiae moribus optimè congruentes.

248. Et omninò quàm leviter aestiment omnes Pontifi-
ces scortationem à Spiritu Sancto ad inferos damnatam, id vel
hinc manifestum est, quod ex publicis scortis, singulis annum
censum ac tributum solventibus, quæstum facere nihil quic-
quam exhorrescunt.

249. De Sixto IV. palàm hoc scribit ex Agrippa Balæus,
addens, quòd meretricibus domum aedificavit Romae, & tribu-
tum ab eis acceperit: quod tributum longè turpissimum cæ-
teri dehinc Pontifices, quadam Majorum usurpatione, soliti
sunt accipere, quæstum enim hinc facere potuerunt uberrim-
um, annuatim 20000. florenorum, plærunque verò amplio-
rem.

250. Sicut

250. Sicut Anno 1552. dum Tridenti Concilium celebrabatur, conscripta sunt Romæ viginti quatuor millia scortorum, quæ publicè merebant: quæ (ut in quodam scripto, cujus exemplar typis excusum in Germaniam emanavit, Cardinales deputati ad Reformationem nescio quam, fatentur ipsi) multis vectæ per urbem sectatores habere solent, etiam mediâ luce, primi nominis Cardinalium familiares. Vide Sleidanum lib. 12.

251. Quid ergo mirum, quod proprius illorum cecinit Poëta Mantuanus:

Vivere qui sanctè cupitis, discedite Roma,

Omnia cum liceant, non licet esse pium.

Et alius quispiam Poëta:

Roma vale, vidi, satis est vidisse; revertar,

Cum Leno, aut meretrix scurra, Cynædus ero.

Et Marcellus Palingenius, sectator religionis Pontificiæ: lib. 10. Zodiaci vitæ, in Capricorno:

Atque rogant, quidnam Romana ageretur in urbe?

Cuncti luxuriæ atq; gulæ, furtisq; dolisq;

Certatim incumbunt, NOSTERQ; EST SEXVS VTERQ;.
Respondet.

252. Ad hoc ergo fornicationis utriusq; lupanar foedissimū, ad hoc castellum latrocinij animarum, ad hanc Sodomam, urbem Romam, alligatam putabimus Ecclesiam? his incarnatis diabolis, cunctorumq; scelerum architectis, Pontificibus, sanctissimum Dei Spiritum (qui animam pollutam non ingreditur, nec habitat in corpore peccatis obnoxio Sap. 1.) prorsus judicabimus esse mancipatum, ut nolit, velit, in omnem eos veritatem ducere cogatur?

253. Negat hoc propositio syllogismi nostri Major supra posita, & evidentissimis testimonijs sacrarum literarum stabilita solidissimè: cumq; minoris etiam propositionis veritas jam sit irrefragabiliter ostensa; cōclusio emergit invicta, quod & errare potuerint Pontifices, & erraverint turpissimè, & in præmium errorum & idolomania sint in mentem reprobam traditi, ut in hanc effrenem flagitiorum licentiam diffuerent, Rom. 1. Ideoq; pro norma fidei in aliquo seu Concilio seu Colloquio censerî nequaquam posse concludimus scrinium illud

Ponti-

Pontificij pectoris, quod rectius Satanæ cloacam, quam doctrinæ Regulam appellaveris.

254. Proinde ne quidem jus Pontificium cum suis Canonibus, decretis, decretalibus, extravagantibus &c. meretur appellationem Normæ fidei, quippe ad omne lubitum hominum portentorum, in perniciem Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ solerter informatum.

255. In finitos errores juris Pontificij prudens prætereo. Brevitatis causa duntaxat unum allego, quando capitulo: Si Papa, distinct. 40. sic in Pontificio jure mugit ac rugit infernalis Draco: Si Papa suæ & fratrum salutis negligens, inutilis ac remissus in suis operibus, & à bono taciturnus sit, atq; insuper innumerabiles populos catervatim secum ducat, primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum vapurlaturos, quod nihilominus culpas ipsius mortalium redarguere præsumat nemo, quia cunctos ipse judicaturus à nemine sit judicandus.

256. Ob quam solam vocem, planè diabolicam, justissimè Divus Lutherus jus Pontificium hîc olim VVitebergæ flammis ultricibus exussit.

257. Petrus Apostolus æquissimo animo passus est se reprehendi non solum ab Apostolo Paulo Gal. 2. sed etiam à gregarijs Christianis altercantibus adversus ipsum, quod ad viros præputium habentes esset ingressus. Quibus ad reddendam facti sui rationem se omninò judicabat obstrictum, quod & facit: prolixè ac modestè Act. 11.

258. Quod si in re tali, quæ re vera cum nullo periculo cujusquam conjuncta erat, nihilominus Petrus se debitorem agnovit, ut facti rationes explicaret: quantò magis in periculo salutis innumerabilium animarum licebit ad Papam dicere: quid facis? Id verò cum in suo Iure neget Pōtifex, nos Ius Pontificium, ut multis modis erroneum, in ista causa rejicimus, nedum ut ei tribuamus elogium Normæ: Papam ipsum verò talia portenta verborum eructantem anathematizamus, & ad ortum usq; damnamus.

259. Per hanc ergo remotionem in residuo manet, non nisi Scripturam Propheticam & Apostolicam in colloctione mu-

etua Pontificiorum & Lutheranorum pro norma doctrinae
recipiendam esse: quod supra testimonijs non ambiguis ex
scriptura demonstravimus.

*De Iudice
cōtrover-
siarum,
Scriptura
Prophe-
tica & A-
postolica.* 260. Eodem modo & vocem decisivam
Spiritus sancti tanquam supremi controversiarum omnium
iudicis in Colloquio esse pronunciamus scripturam Prophe-
ticam & Apostolicam. Nam etsi distinctae sunt quaestiones
de Norma fidei & Iudice controversiarum, cognatae tamen
sunt, & sic cohaerent, ut à se invicem distrahi non possint.

261. Scelerata vox est eorum, qui scripturam non vocem
iudicis, sed materiam litis esse dicunt. Neque rectius sentit
aut scribit Bellarminus, qui Scripturam esse controver-
siarum iudicem, *διὰ τὸ ἴδιον* negat.

262. Et observa, quod in hac quaestione de Iudice non
utuntur Papistae hac distinctione, qua solent uti in quaestio-
ne de Norma doctrinae. Etenim Normam doctrinae scri-
pturam esse concedunt, sed partialem: At quod sit contro-
versiarum iudex, id verò simpliciter ac praecise negant, ni-
mirum diffidentes causae suae, si coram hoc Iudice disceptari
debeat.

263. Bellarminus libro 3. primae controversiae genera-
lis, cap. 9 sic scribit: Non ignorabat Deus, multas in Eccle-
sia exorituras difficultates circa fidem: debuit igitur iudi-
cem aliquem Ecclesiae providere. At iste Iudex **NON PO-
TEST ESSE SCRIPTURA,**

264. Et paulò post: Ac primum, **NON ESSE IV-
DICEM SCRIPTURAM,** planum est, quia varios
sensus recipit, **NEC IPSA POTEST DICERE,**
quis sit verus.

265. Ut igitur quid de hac quaestione sentiamus, exactè
constet, dicimus in principalissima significatione, Deum,
sive Christum, cui omne iudicium est datum Iohan. 5. seu
etiam Spiritum sanctum (sunt enim talia toti Trinitati com-
munia) esse controversiarum omnium Iudicem supremum.
Spiritus sancti enim officium est, mundum *ἐλέγχειν*, argue-
re & iudicare de peccato, de justitia, de iudicio, Ioh. 16.

266. Quia verò Deus pater, Christus, ut & Spiritus san-
ctus, non sine Verbo revelato suum hoc munus *ἐλεγκτικὸν*
& iudicium

& iudiciarium exequitur, sed mediante verbo, eoque; vel prædicato, vel per Prophetas & Apostolos in literas relato: idcirco significatione secundaria rectè & orthodoxè statuitur. Scriptum Dei verbum seu scripturam esse verum & competentem Iudicem omnium controversiarum.

267. Firmitatem huius nostræ distinctionis demonstramus collatione testimoniorum Scripturæ hoc pacto. Quando quæritur, quis sit in novissimo iudicio futurus iudex vivorum & mortuorum? Respondet Paulus, Christum fore iudicem Act. 17. nimirum iudicem κατ' ἐξουσίαν sic dictum. Respondet verò & Christus Ioan. 12. qui rejicit me, nec accipit verba mea, habet, qui IVDICET ipsum. SERMO, quem locutus sum, ILLI IUDICABIT eum in novissimo die.

268. Hac de causa Scripta Mosis & Prophetarum frequenter appellantur IVDICIA Domini Psal. 19. & 119. quandoquidem in illis Dominus sua nobis iudicia manifestat, quid & de instituendo cultu, & de religionis articulis ad unum omnibus sentiendum sit.

269. Hæc collatio in nihilum redigit putidum cavillum Bellarmini, grunnientis, in omni Republica benè instituta & ordinata legem & Iudicem distinctas res esse. Legem enim docere, quid agendum, & Iudicem interpretari legem, & secundum eam homines dirigere.

270. Quasi verò non etiam Lex suo sensu possit ac soleat appellari iudex civilium controversiarum. Imò ei iudici (qui non est ipse Legislatores) non prius in sua interpretatione creditur, quàm inspecta lege, & quatenus ipsius interpretatio cum textu legis congruere deprehenditur.

271. In hoc autem iudicio divino principaliter creditur Spiritui sancto, ut auctori Scripturæ, & propter Spiritum sanctum autorem, ἀναμφισβήτητος creditur etiam Scripturis, quæ ipsæ quoque iudicis partes suo loco & ordine sustinent quod ex dicto Christi Ioan. 12. perspicuè demonstratum est.

272. Quo sensu & significato Basilius Magnus Epistola 20. ad Eustathium Medicum scribit: Divina scriptura nobis IVDIX esto, & apud utros dogmata invenerimus divinis consona literis, his omni pacto suffragium veritatis tribuatur.

273. SUNT

273. Sunt quidem aliqua in sacris literis obscura & intellectu difficilia: at quod attingit dogmata fidei, ea maxime, quæ inter nos & Papistas controvertuntur, sunt illa tam clarè proposita in sacris literis, ut si solis radio scripta forent, vix clariora esse queant.

274. Loca verò quædam obscuriora per plura alia dilucidissima, sic illustrantur, ut ipsa sibi scriptura ad reddendam verum & genuinum Spiritus Sancti sensum nativo suo lumine cum nalarè sufficiat, ideoq; blasphemia Bellarmini damnanda sit, quando scripturam seipsam interpretari non posse scripturæ: quod præterita Disputatione sic confutatum est, ut hæc universa illa repetere nihil attineat.

275. Cæterum neq; altera criminatione quicquam proficiunt adversarij, vociferantes, Scripturam esse mutam, quæ nullum edat sonum aut vocem. Itaq; certo quodam Iudæo esse opus, qui scripturæ per se nihil loquenti vocem accommodet sua interpretatione: atq; hunc somniant esse Pontificem.

276. Putidum hoc cavillum est. Quomodo enim Scriptura posset appellari **V E R B U M**? quomodo **E L O Q V I A** Dei, Psal. 19. & 119. si nihil eloqueretur? Quomodo præciperentur audiri Moses & Prophetæ, Luc. 16. si nihil loquerentur? Sed profectò loquuntur nobiscum in Scripturis Prophetæ & Apostoli: quin Deus ipse per scriptum verbum Prophetarum passim loqui perhibetur, Luc. 1. Heb. 3.

277. Est enim Verbum scriptum velut Epistola quædam ad genus humanum missa, in qua Deus ad nostrum colloquium se demittens claris verbis enunciat, quid in omnibus articulis credi, & quomodo à nobis coli velit.

178. Quamvis autem operosissimè laborent Pontificij, ne Scripturam sacram cogantur admittere iudicem: tamen proprio suo redarguuntur exemplo, ut nolint velint cogantur illam pro iudice controversiarum agnoscere.

279. Etenim si eis Disputatio sit cum Iudæo aliquo, de Messia, anné venerit, vel adhuc sit expectandus? an Messias sit nudus homo, vel simul **D E V S** &c. hæc ad conscientias Pontificiorum provocamus, annon hujus controversiæ iudicem agnoscere cogantur Prophetica Scripturam? & ex oraculis Prophe-

Prophetarum in scripto verbo comprehensis sit convincendus Iudæus?

280. Ridiculè certè jactabitur autoritas Conciliorum, sedis Papalis, Romani Pontificis, catholicæ Ecclesiæ, penes quam sit judicium facere huius controversiæ inter Iudæos & Christianos: quem sermonem omnem Iudæus ut cassam & inanem petitionem principij, nauci faciet.

281. Cum ergò Papiolæ necesse habeant fateri, in controversijs, quæ nobis sunt cum Iudæis, normam & Canonem, imò vocem judicis (Spiritus Sancti) esse Scripturam Prophetarum: legitimè inferimus, O M N I V M ac singularum controversiarum, de articulis fidei, Canonem, normam, regulam, atq; judicem, seu (quod idem est) supremi judicis vocem, verbum & sententiam decisivam, esse scripturam sacram Canonicam: nisi fortè Pontificij contendant absurdissimè, Deum quarundam controversiarum Iudicem constituisse Scripturam, quarundam verò non constituisse.

282. Atqui ex sacræ scripturæ libris etiam in supremo judicio totius orbis judicabuntur omnium religionum homines, non solum de peracta vita, sed etiam de sua quisq; religione ac fide, Dan. 7. Apoc. 20.

283. Et ut suprâ differentem Christum audivimus, sermo, quem ipse locutus est (quem utiq; nos habemus in verbo scripto) judicabit homines in novissimo die Ioh. 12. Et secundum Evangelium Pauli (quod itidem non nisi in verbo habemus scripto) mundus judicabitur, Rom. 2.

284. Ex quibus infertur, si in die ultimo (quando finalis sententia feretur, qui de Deo & Christo rectè senserint, qui secus) omne judiciū pronuntiabitur ex libris, qui tum aperiētur, hoc est, ex Prophetarū & Apostolorū scriptis: necessariò etiam in hoc seculo ex iisdē libris atq; scriptis cœlitùs inspiratis, omnium religionū Doctores ac doctrinas judicari posse ac debere.

285. Si Pontificij contra exemplum de Iudæo datum volent obvertere, in disputatione cum Iudæis ideo Ecclesiam Romanam non posse jactari Iudicem, quia Iudæi Romanam Ecclesiam non agnoscant, ideo necessariò ad scripturam confugiendum esse; nonne pulchrè suo se jugulabunt gladio, ut disputationum, quæ ipsis sunt nobiscum, itidem non Roma-

G

nam

nam Ecclesiam, sed scripturam iudicem esse constituent: si-
quidem & nos, ducti firmis & immotis rationibus, Ecclesie
Romanæ autoritatem repudiamus.

286. Et quia Iudex non debet esse pars (quod & lex na-
turæ sancit, & leges scriptæ confirmant) qui poterit vel Papa,
vel Ecclesia Romana esse iudex in Colloquio inter nos &
Pontificios instituendo? cum & Papa & ipsius synagoga sit al-
tera pars, quam nos convincere parati sumus, in Colloquio,
multiplicis hæreses, ostensuri per Dei gratiã, quod horribi-
les errores contra fundamentum salutis in Ecclesiam invexerit.

287. Quam igitur fuisset absurdum, si in disputationibus
cum Christo vel Apostolis, Pharisei & Scribæ ad Caipham
summum Pontificem provocassent, ut talium controversia-
rum iudicem (quem constat fuisse populi seductorem nocen-
tissimum, & in eiusmodi collationibus de fide, partem alterã)
tam absurdum etiam est in disputationibus inter Pontificios
& Evangelicos velle Romanum Pontificem iudicem consti-
tuere: præsertim cum nobis opus sit tali iudice, qui nec fal-
latur, nec fallat: Pontificem autem erroribus obnoxium esse,
sit validissimè demonstratum in præcedente quæstione de
Norma fidei & doctrinæ.

288. Quin allegatione scripturarum, quibus suam illam
iudiciariam potestatem astruere tentat Pontifex (velut Matth.
16. Tu es Petrus, &c. & Iohan. 21. Pasce oves meas &c.) præ-
ter institutum suum, jam controversi hujus thematis iudici-
um ac decisionem devolvit ad scripturam, atq; hoc ipso iudicem
illam constituit inscius, licet falsò eam alleget.

289. Ac sanè autoritatem hanc iudiciariam in controversijs
religionis deberi Scripturæ: patet ex omnibus ijs Scripturæ
dictis, quibus supra demonstravimus, habere scripturam ra-
tionem Canonis, normæ atq; regulæ fidei & doctrinæ, quæ si-
mul omnia huc repetita volumus.

290. Porro hæc non eò pertinent, ac si ipsi Christiani non
debeant iudicare de dogmatis. Nam Christus jubet Pseudo.
Matth. 7. prophetas ex fructibus cognoscere, Et de suis ovibus testa-
tur, quòd vocem Pastoris ab alienorum voce dignoscant,
Iohan. 10. Paulus monet, ut omnia probemus, & quòd bonum
1. Thess. 5. est, teneamus. Idem Corinthios hortatur, ut de doctrina ju-
dicent:

dicent: **IUDICATE VOS**, quæ dico: Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est &c. Iohannes præcipit, ut probemus Spiritus, num ex *1. Ioan. 4.* Deo sint.

291. Sed sententia nostri affirmati huc tendit, quæ nos homines, quando iudiciū facimus de doctrina, de dogmatibus, de controversijs, nō ex nostro libitu, seu (ut protervus sycophanta, Bellarminus, nobis affingit) ex proprio nostro Spiritu vel arbitrato iudicemus: novimus enim interpretationē Scripturæ non esse *ιδίως επιλύσεως*, qualem Pontifex Antichristiano factu sibi vendicat, sed huc collimat oratio nostra, ut iudicium instituaturn tantum **EX** scriptura, & **SECVNDVM** scripturam, tanquam omnis iudicij Canonem atq; normam.

292. Alias ex testimonio Pauli jam allegato, *1. Cor. 10.* cæterisq; modò productis certissimum est, Christianis universis, Laicis haud minus atq; sacerdotibus, non modò permissum à Deo, sed mandatum, ut ex Scriptura statuunt, & iudicium faciant, quæ dogmata sint amplectenda, quæ non.

293. Idcirco inter leges Colloquij, si quod inter nos & Pontificios futurum est, & hanc ponimus, ut si præcipua utrinque argumenta proposita sint & discussa, iudicium præsidibus relinquatur & Auditoribus, & ad reliquos deinceps articulos progressio fiat.

294. Nam etsi Pontificij doctores autumant, non auditoribus Laicis iudicium permittendum, sed Papæ & Ecclesiasticæ ipsius clientelæ reservandum esse: tamen causæ prius inventæ sunt expositæ, ob quas permittere non possimus, ut Papa prætoriam potestate decidat, & suo more iudicium faciat: quod quale futurum esset, quis sanus queat ambigere?

295. Licere autem secundum scripturæ normam Laicis iudicare in Colloquio, præter enumerata testimonia, docet insuper historia Evangelica.

296. Etenim si quando Christus cum Pharisæis aut Sadducæis colloquebatur, populus non suspendebat iudicium, nec ad Caipham Pontificem reijciebat: sed ipsemet ex collatione sententiarum & scripturarum allegatione iudicium faciebat, ultra pars veritatem defenderet, ultra falsitatem: adeò ut muliercula quoq; Evangelica illa cum audiret Christum solidissimè refel-

lentem criminationem Phariseorum, liberè judicaret, ac Christo laudem assertæ veritatis adscriberet Luc. 11.

297 Et alibi passim calculo suo comprobasse leguntur turbæ, quæ contra dogmata Phariseorum vel concionando vel disputando proferebat in medium Salvator, vide Matth. 7. & 22. Quod iudicium auditorum, quia non contra sed secundum scripturam instituebatur, nusquam reprehenditur, sed commendatur potius, & ad imitandum proponitur: quemadmodum & illud de Berrhoënsibus scrutantibus scripturas, & ex his iudicantibus de ijs, quæ ab Apostolis proponebantur Act. 17.

298. Quapropter, ut concludamus, colloqui cum Iesuitis cæterisque Pontificiæ synagogæ Doctoribus parati sumus, conditionibus hætenus explicatis: si videlicet scriptura sacra sola agnoscat indubitata Norma fidei, si ex eadem scriptura feratur iudicium, si sine ambagibus rectè de ipsismet articulis supra notatis fiat collatio: si probationes petantur è sola scriptura Prophetica & Apostolica V. & N. Testamenti: Si interpretatio testimoniorum scripturæ (quæ dabuntur utrinque) non à Papa, non à Romana Ecclesia, sed ab ipsa scriptura petatur, id est, si scripturæ loca in ipsis fontibus contextuum inspiciantur, & ex phrasi, ex iunctura textus, ex scopo, quem antecedentia & consequentia commonstrant, genuinus sensus eruatur, & scripturæ loca obscuriora per alia explicentur clariora, hoc est, si ad analogiam fidei, juxta præscriptum Apostoli, perpetuumque consensum scripturæ exigatur negocium: si absint altercationes odiosæ, si faceffant sophistications, & de re ipsa placidè conferatur & candidè tractetur: quas condiciones esse justas, & verbo Dei conformes, & praxi Ecclesiæ Christi consentaneas, agnoscent haud dubiè boni omnes.

299. Quas si recusaverint adversarij, liquidò patebit, non illos seriò colloquium expetere, sed tanquam malè sibi conscios tergiversari & respectare latebras, nec lucem aut iudiciū scripturæ ferre posse, ideoque tanquam lucifugas declinare forū divinæ scripturæ: qua de re quid iudicandum sit, facile colligent, qui non sunt naris ad usque miraculum obesæ, & ex poculo Romanæ Babylonis ad vomitum usque ebrij.

300. Aeternus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi aperiat oculos eorum, qui præconceptis papisticis opinionibus excecati haud dum videre queunt lumen Evangelij gloriæ Christi, cui una cum Patre & Spiritu Sancto, sit
laus, honor & imperium sempiternum,


A M E N,

05 A 1953

ULB Halle

3

003 782 123



V077 206





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



ALLO,
PONTI,
INDO,
IO,
sitiones,
DEO,
IO, S. THEO.
PROFESSORE
gensi, 10. Julij,
heologico
ÆMANNUS,
tinus.
GA,
ensis Pauli Helwichii
DCI,

